pedum Arcus inde fornicatim interiecti pontem ſtatuere, qui à citeriore ripa ad ulteriorem ſtadia habuit ſeptem, pedes ducentos triginta: quod ſpacium, ſi ad notiorem menſuram redigas, habebit paſſus nongentos, & unum. Sed nihil fuit tam mirum in difficili opere, quam quæ fundandi ratio adversùs vim fluminis iniri potuerit, ut quæ primo, alterove loco ſtatuerunt, ſolida manerent, præſertim cœnoſo vadò, fluvioque minimè corrivabili, atque ibi loci maximè profundo. *Sabell. l.4. Ennead.7. ex Dione, Xiphilino*. Hujus pontis magnam partem Adrianus princeps diruit, veritus, ne ſi Tranſiſtrani aliquando pontis præſidium expugnaſſent, nullo in Myſiam negotio irrumperent.

Adrianus Imp. ſacris Eleuſinæ initiatus, multa Athenienſibus dona contulit, eorumque pontem reſtituit, quem Cephiſus fluvius inundatione, & alluvie diſſolverat. Fecit & Romæ ſui nominis pontem, qui adhuc extat. *Platina*.

Constantinus Magnus, Germaniæ perdomandæ intentus pontem inſtituit ad Coloniam Agrippinæ, non ut facultatem traiiciendi pararet (nam totum armatis navibus Rhenum inſtruxerat, & ripis omnibus milites diſpoſuerat) ſed ut gloriam Imperio, & limiti ornatum adjungeret, ſi quà ferociſſimus amnis eſſet, vel invito pontem impoſuiſſet. Hoc ubi inſtitui opus hoſtes viderunt, properè legatos, qui pacem peterent, obſidibus pollicendis miſerunt. *Sigonius l.2. Imp. occid.*

Carolus magnus Moguntiaci Rhenum ponte junxit, cujus longitudo erat quingentorum paſſuum: tanta ibi eſt latitudo amnis. Decem annis per vices, opera Europæ extructus eſt, perpetuus fore viſus. Anno antequam decederet Carolus de cœlo tactus tribus horis conflagravit: adeò ut ne veſtigium quidem relinqueretur. Pro tigneo lapideum reſtituturus, priùs ex hac vita migravit. *Æmil. l.2. & Crantzius l.2. Sax. c.7.*

Inter nobilia opera Barnabæ Vicecomitis præſtantiſs. fuit Tritianæ arcis pons, admirabili fornicis ſtructura amni Abduæ impoſitus, uſque adeò in altum exurgens: ut tribus ſuperædificatis tranſitoriis aditibus, infimo currus, cum machinis, & impedimentis, medio equites, ſummo peditatum uno tempore tranſmitteret. *Jovius in ejus vita*.

Galeatius II. Vicecomes pontem lapideum Ticino amni Papiæ impoſuit, mirabilis ſtructuræ, cum perpetuæ contignationis tectum adversùs ſoles, & pluvias ſuſtinentibus ab utroque podio ſiliceis columnis ſuperinduceret, & utraque pontis capita ſingulis propugnaculis muniret. *Jovius in vita ejus*.

Mahometes II. Turcarum rex, Lemnum, ac Mitylenem inſulas cepit, incredibilique apparatu ponte ſupra Euripum conſtructo, Nigropontem expugnavit, Chriſtianis fœda ſtrage affectis ob claſſis Venètæ proviſoris inertiã, qui ventis etiam proſperis flantibus non auſus eſt pontem triremibus invadere. *Jovius in ejus vita*.

Sixtus IV. pontem ſuper Tiberim (quem ab ipſo Sixti pontem vocant) miro artificio, maxima impenſa extruxit, aliiſque ædificiis Romam ſibi adeò adſtrinxit, ut non injuria ipſius alter Romulus vocandus ſit. *Platina*. Pontis inſcriptio talis eſt:

Inſigni hoc ponte extructo, te Siſte, Quirites,
Nunc poſſunt verè dicere Pontificem.

Turres Excelsæ, et magnificæ.

Daniel Propheta, cùm ab omnibus Deo charus exiſtimaretur, & propter hanc de ſe opinionem apud reges Perſarum eſſet illuſtriſſimus: ædificavit apud Ecbatana Mediæ turrim, opus pulcherrimum, & ſingulari admiratione dignum, quod in hodierum uſque durat, & ſpectantibus recentiſſimæ ſtructuræ videtur, ac ſi ea ipſa die, qua ſpectatur, eſſet abſolutum: tantam novitatis ſpeciem, & tam integram pulchritudinem habet, nihil omninò à tam longo tempore læſam, præter aliorum ædificiorum conſuetudinem, quæ æquè atque homines vetuſtatis injuriam ſentiunt, nec firmitatem ſolùm, ſed etiam decorem ſenſim deprehendunt. Mos autem durat uſq; in præſens tempus, ut in ea turri ſepeliantur Medorum reges, & Perſarum, atque Parthorum: ejuſque cuſtodia ſacerdoti Judaici generis concreditur. *Joſephus l.10. c. ult. Ant.*

Ptolemæus Philadelphus in Pharo inſula, non ad alium uſum, quàm ad nocturnos ignes nautarum curſui oſtendendos, turrim conſtituit talentis octingentis, Gnidio Soſtrato architecto, qui ſtructuræ tantæ ſuum inſcripſit nomen. *Plinius. lib.36. cap.12.*

C. Mecoenas, tum in aliis multis tulit magnificentiæ laudem, tum in turri illa editiſſima, quæ poſteà Mecœnaciana dicta eſt. *Suetonius*.

Carolus Magnus in ora Oceani Germanici, Belgicique ſitæ urbis Bononiæ litore turrim inſtauravit, cujus uſus nocturno nautarum curſu ignes oſtendere, ad prænuncianda vada, portuſque introitum. Ipſe ignem incendit primus in vertice turris, quam Pharaon nunciavit Ægyptiæ imitatione. *Aventinus l.4. Annal. Bojorum, & Aimoinus*.

Venetiis, duce Dominico Mauroceno, Marciana turris, quæ è regione fori eſt D. Marci, fundata dicitur, opus ſanè admiratione dignum. Ferunt molem ipſam tam altis fundamentis impoſitam, ut penè plus operis illa hauſerint, quàm id reliquum ſit, quod extat. Ejus faſtigium, quod ex puriſſimo fulget auro in eam aſſurgit altitudinem, ut non ſolùm urbem, quam circumquaque ſubjectam habet, contemplari inde liceat: ſed ad ortum quoque, & meridiem, longè lateque, in ipſum mare aperiat proſpectum, ita ut ex Hiſtria, Dalmatiaque introrſum navigantibus ad ducenta, & ampliùs ſtadia fulgor ille, tanquam ſidus quoddam ſalutiferum, occurrit. *Sabell. lib.7. Dec.1. & lib.4. Enn.9.*

☞ *Vide Locum de Turre in particulari. Ubi de Argentinenſi, Antuerpienſi, Meclinienſi, Ultrajectina, & aliis nonnullis.*

Valla, Moenia, Muri, Aggeres, excelſi, firmi, magnifici.

Sesostris, Ægyptiorum rex, munit ea loca, quibus ad Ægyptum patere hoſtibus ingreſſus poſſet. Duxit & murum ab eo latere Ægypti, quod Orientem verſus ad Syriam, atque Arabiam ſpectat, à Peluſio uſque ad Solis civitatem per deſertum ſtadiis mille, & quingentis. *Diodorus l.1. c.4.*

Babylonis muros (qui inter ſeptem orbis miracula recenſentur) ut *Juſtinus l.1.* docet, Semiramis condidit, aut ſaltem ruinoſos reparavit, coctilibus laterculis, & bitumine ferruminatis, ducentorum pedum altitudine, latitudine verò quinquagenorum pedum adeò, ut quadrigas inter ſe occurrẽtes reciperent, turreſque haberent trecentas, plures multò habituri, niſi aliqua ex parte paludes pro mœnibus fuiſſent. Huic autem operi portentoſo adhibita ſunt trecenta hominum millia. *Propertius lib.3.*

Perſarum ſtatuit Babylone Semiramis urbem,
Ut ſolidum cocto tolleret agger opus.
Et duo in adversùm miſit per mœnia currus,
Ne poſſent tacto ſtringere ab axe latus.
Duxit & Euphratem medium, qua condidit arces,
Juſſit & imperio ſurgere Bactra caput.

Herodotus l.1. ſcribit, muros Babylonis habuiſſe craſſitudinem quinquaginta cubitorum regiorum, celſitudinem ducentorum. Per ambitum centum portæ ſtabant æreæ, omnes cum cardinibus. Trajanus Babylonem profectus, maximum aggerem reperit, quem excitaſſe ferebatur Semiramis. Fuit altitudine pedum vigintiquinque, latitudine quinquaginta: longitudine continebat ſtadia ſeptuaginta. *Suidas in voce*. Χῶμα.

Ἱππάρχου τειχίον, id eſt, Hipparchi murus: dicebatur res quæpiam, quæ magnis conſtaret impenſis. Hinc natum, quod Hipparchus, Piſiſtrati filius, academiam muro ſepſit: atque hujus rei nomine magnam pecuniæ vim ab Athenienſibus exegit. Auctor Suidas. *Eraſmus in Adagiis*.

In Thracia eſt urbs, quam Græci μακρὸν τεῖχος vocant, quòd illinc inciperet murus ſupra fidem ingens, uſque ad ſignum Melitum, excluderetque Cheronneſum à reliqua Thracia. Eum Milciades dux Athenienſis fecit, *Lud. Vives in l.15. D. Auguſt. de Civit. Dei, cap.27.*

Demosthenes rhetor ſua pecunia muros Athenienſium refecit. *P. Ærod. ex Demoſthene pro Corona, Plut. Libanio, & aliis*.

Dionysius tyrannus Syracuſis arcas omnes ad portum vergentes incredibili opere, & celeritate viginti dierum ſpacio muro incluſit inexpugnabili, ſexaginta millibus delectis ad opus faciendum, muro ad trecenta ſtadia producto. *Diod. l.14.*

L. Tarquinius, rex Romanorum, muros urbis rudi priùs materia eductos grandioribus ſaxis ad regulam formatis primus moliri eſt adortus. Cloacæ, quibus aquæ ſubterraneis fornicibus in Tyberim laberentur, ejuſdem opus fuiſſe creduntur. C. Aquilius auctor eſt, cloacarum repurgationem mille poſteà talentis à Cenſoribus locatam. *Sabellicus lib.4. Enn.2.*

Murum à lacu Lemano ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, C. Julius Cæsar duxit millium

paſſuum

paſſuum XIX. altitudinis pedum XVI. *Cæſar 1. Comm. Belli Gall.*

Cyrus, urbis Conſtantinopolitanæ præfectus, homo ſapientiſſimus, atque induſtrius, terreſtrem Conſtantinopolis murum demolitus eſt, aliiſque duobus intervallis additis, alium murum intra ſexageſimum diem extruxit. Cujus operis ad pulchritudinem, & feſtinatam abſolutionem obſtupeſcens populus, Imperatore Theodoſio in Circo ſedente exclamavit: Conſtantinus condidit, Cyrus inſtauravit. Ea propter in invidiam venit: & Græcis rebus ſtudere per calumniam dictus, publicatis ejus bonis, raſo capite Smyrnæ Epiſcopus deligitur. *Georgius Cedrenus*.

Anastasius Imperator longum murum ſtruxit ſexaginta milliaribus ante urbem à ſeptentrionali mari versùs meridiem, milliaribus quinquaginta extentum, latitudine pedum viginti, qui μακρὸς τοῖχος ab auctoribus paſſim ex re dicitur: ne incurſiones Mœſiorum, Bulgarorum, & Scytharum officerent Reipubl. *Suidas, & Cuſpin.*

Asandrus Cherronenſi Traciæ dominus, Cherroneſi Iſthmum ductis mœnibus vallavit ad Mæotidem, CCC. ac LX. ſtadiorum ſpacio, ad ſingula ſtadia turres decem ædificans, ad Barbarorum impetum propulſandum. *Strabo lib.7.*

Græci, irruente in Græciam Xerxe, Corinthiacum Iſthmum muro claudere ſtatuere. Ad quam rem cùm, haud ſegniter, quæ neceſſaria videbantur, advecta eſſent, maturèque opus tum incitato omnium ſtudio, tum multitudine operantium ſurgeret, ad quadraginta ſtadia murus, munitioque illa porrecta eſt: omniſque aditus, quam lato à Lecheo in Cenchreos ſpatio patebat, eo ſeptus opere, clauſuſque extitit. *Diodorus l.11.* Conſtantinus Palæologus, qui noviſſimè Byzantii imperavit, Iſthmum Corinthiacum, quem Heximilum Græca voce nuncupant, inſtaurandum curavit quodam Chriſtianorum ſucceſſu, tributumque Turcorum regi ſtatuit non reddere. Verùm Pannonius, & Polonis ad Varnam ingenti prælio victis, pecunia ab Amurathe mulctatus, murum diruere juſſus eſt, Veneti bello Peloponneſiaco contra Mahometum, Turcarum regem, Corinthiacum Iſthmum munire adorti, adeò feſtinarunt, ut totam muri longitudinem, quæ ab Jonio ad Ægeum quadraginta circiter ſtadia patet, quindecim dierum ſpacio duplici foſſa, ſubitariaque molitione firmarint. Triginta millia hominum eo loco operata dicuntur: ſed veteris ſtructuræ ſaxa, quæ ad manus fuere, materiam præbuerunt operis celerius, conſummandi. Verùm Turcarum multitudine territi, qui cum LXXX. millibus equitum appropinquabant, ad mare ſe receperunt. Et ſic Iſthmi munitio ſæpè aliàs infeliciter tentata, parum profuit. *Sabell. lib.6. Ennead. 10.*

Adrianus Imper. cum magna ſtrage L. Antenous legatus à Mogallo Scotorum rege affectus eſſet, ipſemet in provinciam cum legionibus Gallicanis contendit. Cæterùm cùm hoſtes ſeſe in paludes, & ſylvas, & montes inacceſſos abdidiſſent, ut prohiberentur ſaltem Pictorum, Scotorumque hoſtiles incurſiones in eam Albionis partem, quæ provincia erat Romanorum, vallum portenſæ molis, ex ceſpitibus è terra exciſis, montis inſtar altiſſima foſſa objecta, à Tinæ amnis oſtiis ad Eskam fluvium à mari Germanico ad Hibernicum uſque Oceanum, primus omnium duxit. Id vallum octoginta millia paſſuum affirmat Spartianus. M. Ant. Pius Britannos per Lollium urbicum legatum bello vicit, alterumque rebellibus inſulanis objecit murum, ceſpitibus, & gleba extructum. *Sabell. lib.4. Enn.7.* Britannorum verò annalibus, ab Adriano inchoatum, à Severo Imp. (ſed aliquot poſt annos) abſolutum, memoriæ eſt proditum, Unde Scoticarum rerum vulgari ſcriptores id Septimii Severi vallum appellant. Nam cum defectione Fulgentiana dirutum eſſet. Severus Imper. anno imperii XIII. per Antoninum filium reficiendum curavit, per CXXXM. paſſuum propugnacula ſuperaddidit lapidea, & turres editas, ea tamen intercapedine, ut tubæ ſonus, vel adverſo vento ex una editus, in altera facilè audiretur. Unde Britannici cognomen meruit. Æneatores ſinguli ſingulis turribus adhibiti, quorum clangoribus, ſi quando hoſtes urgerent, incolæ præmoniti, armati ad vallum tutandum concurrerent. *H. Boeth. lib.5. Euſeb. anno* 210. Sed *Polyd. lib.3.* de eo ſic ſcribit: Valentiniano imperante, Scoti fœdere cum Pictis inito, Britanniam invaſerunt. Ætius, Honorii dux, legionem unam Britannis auxilio miſit. Sunt Picti, & Scoti variis inde cladibus ab Ætianis affecti, reſque Britannica perbono cœpit eſſe loco. Ergo ne deinceps ea quies ab hoſtibus turbaretur, viſum eſt ducibus legionariis peropportunum, ut murus conſtrueretur inter Romanam provinciam, & Pictorum fines: idquod, teſte Gilda, factum eſt. Verùm cum ceſpitibus magis, quàm lapidibus eſſet ædificatus, haud ſatis firmus poſteà ab hoſtium impetu fuit. Atque tum ille demum murus confectus eſt ab Ætianis ducibus, non ab Hadriano, neque à Severo Imper. ſicut nonnulli falsò memoriæ prodiderunt, ſi Gildæ auctori Britanno credimus. Non multo poſt ex lapidibus factus eſt, quo validior eſſet, ad arcendam vim hoſtium: ſic ut minus nocere jam tum cœperint Scotorum, Pictorumque latrocinia.

Thira, Gormonis Danorum regis uxor, Harado filio poſt patrem regnante, jam bis recolens Germanorum factam terreſtri itinere in Jutiam irruptionem, à Sleſvico in mare Britannicum vallum grande jecit, foſſaque præcipiti cinxit: cujus hodiè cernitur labor, à mari Baltico in mare Britannicum: Cui primus Waldemarus rex murum ſuperaddidit, portarunque clauſtra firmavit, hodiè quoque in conſpectu arcis Gottorp, opus Danorum, appellatur. *Crantzius lib.4. Daniæ, cap.20.*

Alfonsus, Calabriæ dux, novis, & ampliſſimis muris Neapolim cinxit, nova propter id vectigalia ſuorum inſtituens *Pontanus cap.7. de Magnif.*

Domus magnificæ, tum *Regiæ, Baſilicæ, Palatia.*

Alcinoi Phæacum regis domum, auro, argento, electro, & ebore fulgentem deſcribit *Homerus lib.7. Odyſ.*

Indorum regnum regia argenteis imaginibus tota diſtinguitur: eamque ex auro vites percurrunt, fultæ aureis columnis. *Alex. lib.5. cap.24.*

Salomon rex, templo Domini ſeptem annis abſoluto, nemorenſem Libani domum conſtruxit tredecim annis. Cujus ſplendorem. *Pete ex 3. Regum 7. & Joſeph. lib.8. Antiq. cap.5.*

Septem orbis miraculis quidam addunt domum Cyri Medorum regis, quam fabricavit Memnon, illigatis auro lapidibus.

Amasis, Ægyptiorum rex, inter reliqua ædificia præclara admirabile attulit in urbem Saim ædificium ex ſolido ſaxo ab urbe Elephantina: in quo afferendo triennium conſumpſerunt duo millia delectorum virorum, qui omnes erant gubernatores. Ejus tectum extrinſecùs eſt unius, & viginti cubitorum longitudo, quatuordecim latitudo, octo ſublimitas. Hæc eſt dimenſio exterior tecti ex uno lapide. Introrſum tamen duodeviginti, & ampliùs cubitorum eſt longitudo, quinque ſublimitas. Domus hæc ad ingreſſum templi Minervæ collocata eſt. Nam ob id ajunt in templum non fuiſſe pertractam, quod tecto advecto, cùm ſuſpiraſſet ejus vehendi architectus, utpotè pertæſus diutino tempore operæ: ea de re ſtomachatus Amaſis non permiſerit hominem ulterius trahere. Nonnulli ajunt, quendam ex his, qui vectibus lapidem agebant, à lapide fuiſſe oppreſſum, ideòque lapidem non introductum. *Herod. lib.2.*

Socrates dicebat, Archelaum Macedoniæ regem, quadraginta minas in domum ſuam impendiſſe, conducto mercede Zeuſide Heracleota, qui picturis eam exornaret: in ſeipſum verò nihil. Et ob hanc cauſam multos è longinquis terræ partibus magno ſtudio contemplandæ domus cauſa venire: ipſius verò Archelai gratia neminem in Macedoniam proficiſci, niſi ſi quem fortè perſuaderet, pecuniis, & muneribus ineſcaret: quibus tamen honeſti, bonique viri capi non poſſent. *Ælianus lib.14. de Var. hiſt.*

Persepolis, regiæ Perſarum arcem deſcribit *Diodorus Siculus lib.17.* ☞ *Vide infrà. Arces magnificæ.*

Adrianus Imperator Tyburtinam villam miro ſumptu ædificavit, quæ quidem hodiè Tybur vetus appellatur: in eaque provinciarum, & locorum celeberrima nomina inſcripta erant. *Platina*.

Maximianus Herculeus Aquilejæ Palatium, ſive novum conſtruxit, ſive antiquum ornavit, atque imaginem ad ipſum Convivii aſpectum affingi juſſit: ubi Fauſta filia nondum nubilis Conſtantino adoleſcenti galeam auro, gemmiſque nitentem offerebat. Quinetiam Brixiæ Palatium condidit, quòd Herculeum appellavit: cujus ad hanc uſque ætatem nomen, atque illuſtria parietinarum veſtigia permanent. De Amphitheatro etiam Veronenſi, quod hodiè quoque à parte interiori propè integrum viſitur, aliquid jure poſſumus ſuſpicari, quando, & à quo ſit conditum, ne ipſi quidem cives oſtendunt. *Sigonius lib.1. Imp. occid.*

Luitprandus Ticin. l.6. c.2. Rer. in Europa geſt. narrat, ſe à Berengario miſſum legatum ad Conſtantinum Imperatorem Græcum, ubi ad conſpectum illius admiſſus eſt in domo

regia,

regia, quam vocant Megauram (rectiùs fortaſſis μέγαρον) vidiſſe æneam quercum deauratam totam, cujus ramis variæ volucres, inſiderent. Non procul thronum imperatorium, leonibus aureis adjacentibus, qui mechanica arte pro libito modò ad lacunas uſque attolleretur, modò ad pavimentum uſque deſcenderet. Admiſſis legatis, quorum ſinguli duobus eunuchis inniterentur, aves primùm in quercu æneæ ſuaviſſimos ſonos edebant. Propiùs accedentibus, leones horrendum in modum rugiebant. Imperator in throno ſedens, & propemodum inſenſibili motu in ſublime aſcendens, Dei cujuſdam faciem præ ſe ferebat, & non niſi per interpretem cum legatis procul ſtantibus verba faciebat.

Abu-Henon (al. Abu-Lunan, & Abu Timan) Rex Feſſæ, ex Marinis V. collegium in urbe Feſſa condidit ampliſſimum, & admirandum, quo abſoluto, cùm ſumptus in id collatos ſcire vellet, perlegiſſetque unam, atque alteram libelli paginam, & inveniſſet 40000. aureorum, diſcerptas rationes in fluvium abjecit, & hoc dictum cujuſdam Arabis addidit: Quicquid charum, quamvis carum, ſi pulchrum carum non eſt: neque nimio conſtitiſſe dicendum, quod animo arridet. Fuit tamen Regi quidam à theſauris, qui ſumptus accuratè notaverat, ac habitis rationibus invenit 480000. aureos in ædificatione, & ornatu ejus conſumptos eſſe: Caſtrum Garſis occupavit. *H. Henninges in Genealog. Mauritanorum famil.*

Privatæ.

Tyrios adeò editas maximis contignationibus domos aliquando ſtruxiſſe legimus, ut parùm abfuerit, quin tota terræ motu corruerit. *Alex. lib. 5. cap. 24.*

Arabes, & Sabæi domorum tecta habent auguſtiſſima, ex ebore, auro, argento, ſumptuoſo lapide, & ſmaragdo. *Ib.*

L. Craſſus orator fuit in primis nominis Romani, domus ei magnifica, ſed aliquantò præſtantior in eodem palatio Q. Catuli, qui Cimbros cum C. Mario fudit. Multò verò pulcherrima conſenſu omnium ætate ea in colle Viminali C. Aquilii equitis Romani. *Plinius lib. 17. cap. 1.*

Agrum apud Bajas habuit C. Marius in quo calidæ aquæ erumperent, ut memoriæ prodidit Plut. in ipſius vita, narrans cum eligendus eſſet Imperator contra Mithridatem, populuſque diviſus eſſet (pars namque civium Marium ipſum gerere id bellum cupiebat: pars autem L. Sylvæ favebat) qui adverſabantur Mario in comitiis dicere ſolitos, jubereque, ut ad Bajas iret, atque illic aquis calidis ſe foveret, ſenio, ac morbo confectus, ut ipſe quoque ajebat. Adjungit enim: Erat enim illic Mario propè Miſenum magnifica domus, quæ deliciis abundaret, victuſque haberet molliores, quàm viro conveniret, qui tot, tantaſque res bello geſſiſſet. *Victorius lib. 20. Var. Lect. cap. 3.*

L. Crassus, atque Cn. Domitius Ænobarbus cenſuram poſt conſulatum ſimul geſſere, anno conditæ Urbis DCLXII. frequentem jurgiis, propter diſſimilitudinem morum. Tum Domitius, accenſus odio, graviter increpuit tanti cenſorem habitare, pro domo ejus ſeſtertium millies identidem promittens. Et Craſſus, faceto lepore, adiicere ſe reſpondit, exceptis ſex arboribus. Ac ne uno quidem denario, ſi adimerentur empta, volente Domitio: Craſſus, Utrùmne igitur ego ſum, inquit, quæſo, Domiti, exemplo gravis, & ab ipſa mea cenſura notandus, qui in domo, quæ mihi hæreditate obvenit, comiter habitem? an tu, qui H. S. millies ſex arbores æſtimes; Eæ fuere loti, patula ramorum opacitate laſcivæ. Duraveruntque ad Neronis principis incendia, quibus cremavit Urbem, annis CLXXX. poſteà, cultu virides, juveneſque, ut princeps ille acceleraſſet etiam arborum mortem. Præterea columnas quatuor Himettii marmoris, ædilitatis gratia ad ſcenam ornandam advectas, in atrio ejus domus ſtatuerat, cùm in publico nondum eſſent ullæ marmoreæ. *Plinius lib. 17. cap. 1.*

C. Octavio multùm contuliſſe auctoritatis, & gratiæ inter cives, Cicero refert, quòd domum magnificam ædificaſſet. *Pontanus cap. 11. de Magnif.*

Q. Aquilius Gallus, eques Romanus, acutus, & exercitatus, & promptus in reſpondendo, & agendo, regnum quoddam judiciale videbatur habere. Habitavit in colle. Viminali ædibus ea ætate ſumptuoſiſſimis, ducentis circiter millibus noſtratium aureorum.

Porticus Magnificæ.

Præter Q. Catuli ex manubiis Cimbricis ædificatam porticum, plures Romæ porticus inſigni nomine fuere. *Alex. lib. 3. cap. 23.*

Herodes Judæorum rex, in Chiſim inſulam veniens, cùm adnimadvertiſſet porticum urbis dirutam bello Mithridatico jacentem adhuc, quòd propter inopiam reparati non poſſet ad priſtinam pulchritudinem, & amplitudinem, tantùm pecuniarum contulit in ejus fabricam, quantum abundè ad abſolvendam ſufficeret, hortatus, ut quam primùm veterem ornatum urbi redderent. *Joſephus lib. 16. cap. 3.*

In Balnea, Thermas, Natatoria factæ impenſæ.

Scribit Diodorus Siculus in Bibliotheca Agrigentinos locum natandi aptum Geloni magnificè præparaſſe, cujus ambitus ſeptem ſtadia continebant, profunditas verò erat cubitorum viginti: in quem cùm fluvii, fontanæque aquæ inducerentur, aderat etiam piſcina, quæ multos piſces ad delicias, fruitionemque Geloni præbebat. Tum etiam cygnorum multitudo advolabat, ita ut jucundiſſimum foret ſpectaculum. *Athen. lib. 12. cap. 10.*

Apud Puteolos Campaniæ, cùm in mari calidæ effervefcerent aquæ, jactis molibus inſula cum balneis aquarum calidarum excitata eſt. *Pauſanias in Arcadicis.*

Mecoenas, Romæ primus aquæ calidæ balneum conſtruxiſſe fertur, in uſum populi Romani. *Dion in Auguſto.*

M. Agrippa, ut populo placeret, CLXX. balnea, ſeu lacus in provinciarum formam Romæ gratuita præbuit, in quibus etſi calida priùs abluerent, poſteà, ut à balneis corpora multa frigida ſtringerent, conſtitutum ferunt. *Alex. lib. 4. cap. 20.*

M. Antoninus Imperator ob popularem gratiam balneum, ſine mercede exhibuit, cùm anteà ſingula ſinguli quadrantem expromerent. *Alex. lib. 4. cap. 20.*

Alexander Severus Imp. ne quid populo incommodaretur, nocturna balnea oleo pro luminibus præbito, conceſſit: Quæ cùm anteà promiſcua eſſent, viris æquè, & mulieribus, ipſe poſt Antoninum Philoſophum lavacra miſta ſubmovit. *Alex. lib. 4. cap. 20. ex Lampridio.*

Antoninus Caracalla thermas ſuo inſignes nomine ſtruxit, quarum cellam ſolearem, id eſt, in qua forent balneo deſtinata ſolia, negant architectonicæ conſulti, ulla poſſe exprimi imitatione. Nam ex ære, vel cupro cancelli fuere ſuperpoſiti quibus concameratio concredebatur tota. *Cælius lib. 30. cap. 7. Antiq. Lect.*

Tacitus Imper. domum ſuam eſt demolitus, ut thermas illic publicas privato ſumptu extrueret. *Cuſpin.*

Diocletianus Romæ, Maximianus Carthagine thermas inſtituerunt. Romanorum admiranda in hunc uſque diem veſtigia immenſam animi Diocletiani vaſtitatem quandam oſtendunt. Maximianus ſuas ita curavit perficiendas, ut propterea Chriſtianos miſerè admodum habuerit, cùm eos, & lapides cædere, & arenas eruere operis ejus cauſa coegerit, quòd in vetere S. Marcelli vita ſcriptum invenitur. Maximianus item alteras Mediolani thermas conſtruxit, quæ Herculeæ Thermæ, ſive Lavacrum Herculeum dictæ ſunt: quarum meminit Auſonius. *Sigonius lib. 1. Occid. Imp.*

Theodericus Oſtrogothorum rex, in Italia Aponi balnea, quæ ſunt in agro Paduano, muro clauſit, ædeſque balneis appoſuit, ut commodiùs frequentarentur. *Caſſiodorus.*

In Cœmeteria facti ſumptus.

Maximianus monachus idiota, pietatis laudem adeptus, quòd propriis ſumptibus monumenta defunctorum extruxiſſet, Neſtorio hæretico ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano dejecto ſubſtitutus fuit, anno Chriſti 434. *Niceph. lib. 14. c. 37.*

Julius Pontifex Romanus, ſub Conſtantino Imper. exſtruxit tria cœmeteria in totidem viis, Flaminia, Aurelia, & Portuenſi. Baſilicas duas: alteram juxta forum Romanum, trans Tyberim alteram. *Volat. lib. 22. Anthrop.*

Sepulchra magnifica, Labyrinthi, Pyramides.

☞ *Ratione Honoris, aut Poſſeſſionis, inter Fortunæ bona connumeranda ſunt: ratione Pietatis, ad Humanitatem: ratione Sumptus, ad hunc locum pertinent quædam etiam ad Prodigalitatem.*

Simon Judæorum dux, à Baſca oppido Galilææ fratris Jonathan per dolum à Tryphone occiſi oſſa in Modim, & paternum ſepulchrum tranſtulit, publico luctu honorati: ubi ampliſſimum monumentum extruxit patri ſimul, & fratribus ſuis è marmore polito, & candido. Excitato enim in latè conſpicuam celſitudinem porticu circumdedit, & columnas ſingulas è ſingulis lapidibus, opus admiratione digniſſimum: ad hæc

hæc pyramides ſeptem parentibus, & fratribus cuique unam erexit, mirabilem tam magnitudine, quàm pulchritudine, quæ duravit, uſque ad tempora Joſephi. Teſtis ipſe, *lib. 13. cap. 11. ex 1. Machab. 13.*

Sepulturæ locus, turris apud Ecbatana Mediæ, à Daniele propheta extructa. *Joſephus lib. 10. cap. ult. Antiq.*

Ægyptii omninò parvi faciendum præſentis vitæ tempus eſſe putant: futuræ verò gloriam, quæ virtute comparatur, maximi æſtimandam. Domos noſtras diverſoria appellant, tanquam brevi tempore à nobis inhabitandas. Defunctorum ſepulchra ſempiternas domos, quoniam apud inferos infinitum ſit tempus, vocant. Ideò domus ædificandæ curam contemnunt, circa ſepulchrorum magnificentiam ſummum ſtudium, operamque impendunt. *Diod. lib. 1. cap. 4. & Cicero lib. 5. Tuſcul. quæſt.*

Helena, Adiabenorum regina ad Judaiſmum converſa, cum Izate filio rege Hieroſolymam profecta ſacrorum cauſa ad mortem uſque filii ibi commorata, tres pyramides tertiò ab urbe ſtadio extruxit, in quibus oſſa illius, & Izatis fratris Monobazus regni ſucceſſor repoſuit. *Joſeph. lib. 20. cap. 2. Antiq.*

Artemisia, regina Cariæ, Mauſolo marito mortuo, ſepulchrum erexit inter orbis miracula annumeratum, cujus altitudo attollebatur XXV. cubitis: cingebatur columnis XXVI. Patebat ab Auſtro, & Septentriones LXIII. pedes. Toto circuitu continebat CCCCXI. Ipſum ab oriente cælavit Scopas, à ſeptentrione Bryaxis, à meridie Timotheus, ab occaſu Leochares. Regina opere nondum abſoluto conceſſit fatis: artifices tamen non receſſerunt, niſi eo conſummato. *Plinius l. 36. cap. 5.* Ab hoc ſepulchro omnia Regum, & Imperatorum monumenta, quæ præciſa ſunt, vocantur Mauſolea: & κατυκὸς τάφος Caricum monumentum, de re ſumptuoſa proverbio dici conſuevit.

Pauſanias in Arcad. de Helenæ, & Mauſoli ſit ſcribit: Cùm multa norim admiratione digna ſepulchra, duorum tamen duntaxat hoc loco mentionem faciam. Alterum Alicarnaſſi eſt, in Hebræis alterum. Erectum illud fuit Mauſolo, qui Alicarnaſſi regnavit, ea operis magnitudine, atque omni ornamentorum magnificentia, ut Romani rei miraculo adducti, magnificentiſſima quæque monumenta Mauſolea appellarint. At apud Hebræos in Solymorum urbe, quam Romanorum Imperator Titius funditus excidit, Helenæ indigenæ mulieris ſepulchrum miri operis eſt. In eo enim oſtium fabricatum eſt è marmore, uti cæteræ ſepulchri partes: id anni ſtato die, atque hora, occulto machinæ cujuſdam motu aperitur, neque ita multò poſt occluditur, quod ſi alio tempore aperire conatus fueris, effringas facilius, quam ulla vi recludas.

Alexander Magn. in Ephæſtionis tumbam, & monumentum decem millia talentorũ expendere volens, Staſicratem, ſive Dinocratem, artificem celeberrimum, deſideravit. *Plut. in Alex.*

Ferunt in Cypro inſula tumulo reguli Hermiæ juxta centarias marmoreo leoni fuiſſe inditos oculos ex ſmaragdis, ira radiantibus etiam in gurgitem, ut territi inſtrumenta refugerent thynni, diù mirantibus novitatem piſcatoribus, donec mutavere oculis gemmas. *Plinius lib. 37. cap. 5.*

Stesichorus Poeta in oppido Catana ſplendidè ſepultus fertur, monumento diligenti quadam ratione ex omnibus octonis conſtructo, octo columnis, octo gradibus, angulis octo. Atque hinc proverbium increbuiſſe πάντα ὀκτώ. Meminit hujus & Julius Pollux in nono, agens de luſu taxillorum, quem ait numeris conſtare, in quibus ſit unus, qui Steſichorus appelletur, nimirum octo, idque cognominis ſumptum eſſe ab ejus monumento. *Eraſ. in Adagiis.*

Trajanus Imp. in foro ingentem columnam extruxit, ut hoc ſimul opere, & ſibi ſepulchrum, & teſtimonium ipſi operi complanato foro perpetuum pararet. Nam excidi quaquaverſum extra deſignatam columnæ molem juſſit, donec pro craſſitudine ad juſtam altitudinem columna extaret, ubi adhuc infrà baſim legitur inſcriptio. *Cuſpin.*

Moles Hadriani Imperat. ſepulchrum fuit, ſpectatu proculdubiò dignum. Pario namque ex lapide ædificatum eſt. Saxa quadrata illi invicem nexa, alia nulla commixta materia, & quaternis partitum pari dimenſione lateribus. In medio verò hujus quadrati moles rotunda inſurgit, excelſa quidem altitudine, latitudine verò tanta, ut in ſuprema ejus parte area ſit, cujus diameter vix jactu lapidis tranſigatur. Habet verò pontem ſuper Tyberim amnem, qui ab ipſa mole ad aliam ripam extenditur. *Procopius.*

Constantini magni in ſepulchro Petri Apoſtoli exornando magnificentiam. *Pete ex Platina in vita Sylveſtri I.*

Michael Imper. ſepulchrum Taraſii Patriarchæ nonaginta quinque libris argenti obduxit. *Paulus Diaconus lib. 24. Rerum Roman.*

Probus Imperator cùm Adrianum ſingulari certamine viciſſet, ſepulchrum, cujus latitudo trecentorum eſſet pedum, ei condidit. *Pont. cap. 12. de Magnif.*

Sumptus in vivaria.

In villa Oſtienſi M. Sejus habebat greges magnos anſerum, gallinarum, columbarum, gruum, pavonum, nec-non glirium, piſcium, aprorum, & cætera venationis, ex quibus rebus ſcriba librarius libertus in annos ſingulos plus quinquagena millia è villa carpere dicebat. Appii Claudii materteræ fundus in Sabinis, qui eſt ad quartum, & viceſimum lapidem via Salaria à Roma, ornithonem habebat: ex eo uno quinque millia veniere turdorum denariis ternis, ut ſexaginta millia ea pars reddiderit eo anno villæ, bis tantùm, quàm fundus ducentum jugerum Reate, nimirùm cùm tunc triumphus eſſet Scipionis Metelli, & collegiorum cœnæ innumerabiles excandefacerent annonam macelli. *Varro lib. 2. cap. 1. de re ruſtica.*

Q. Fulvius Lippinus habuit in Tarquinienſi ſepta jugera XL. in quo fuerant incluſi lepores, cervi, capri, capræ, oves, feræ: in Gallia verò Tranſalpina T. Pompejus, tantùm ſeptum venationis, ut circiter ∞ ∞ ∞ ∞ paſſuum locum incluſum haberet. *Varro lib. 3. cap. 12.*

C. Pompejus ægrotans, cùm præcepiſſet Medicus ei, ut turdo veſceretur, negarent autem ſervi æſtivo tempore eas uſquam niſi in L. Luculli vivariis reperiri, prohibuit inde peti, ſed ad Medicum ait: Ergo niſi Lucullus perditus delitiis eſſet, non viveret Pompejus? Ac aliud, quod parabile eſſet, juſſit parari, *Plut. in Lucullo.*

M. Varro Quiritium doctiſſimus, & elegantiſſimus in ornithone, quem animi cauſa conſtituit ſub Caſino, longè vicit non modò Archetypon inventoris ὀρνιτροφεῖον M. Lænii Strabonis, qui Brunduſii primus in periſtylo habuit exhedra concluſas aves, quas paſceret objecto rete ſed etiam in Tuſculano magno ædificio Luculli. Cujus deſcriptionem ipſemet *lib. 3. cap. 5. de Re ruſtica* tradit.

Gordiano Imperatori etiamnum privato erat ſylva, in qua habuit cervos ducentos, Britannos equos feros triginta, oves feras albas mille, decem capras, quas inaurari fecerat, ſtrutiones Mauros miniatos trecentos, onagros triginta, apros centum quinquaginta, ibices ducentos, damas ducentos. Quæ omnia populo diripienda conceſſit, die muneris ædilitatis, quod ſextum edebat. *Sabell. lib. 6. Enn. 7.*

Mathias Corvinus: cùm omnes ferè ante ſe Reges, qui in Pannonia regnarunt, gloria rerum geſtarum viciſſet, in piſcinaria quoque magnificentia rationem reperit, qua vel glorioſiſſimos in Boemia vinceret piſcinarios. Mariones enim porculo maximo ſimiles, carceris impatientiſſimos, ſoliuſque Danubii, & Boryſthenis liberos incolas, piſces delicatiſſimos & exoſſes planè (quorum *Plinius lib. 9. cap. 25.* meminit) in piſcinam, quam ſibi ad arcem Tartam extruxerat, ex Danubio deduci curavit: eoſque Beatrici Reginæ, legatoque Romani Pontificis, qui cognatus Reginæ erat, atque multis ex Boemia proceribus, paulò minus ſexaginta ſpectandus in piſcina propoſuit. *Dubravius lib. 1. de Piſcina, cap. 2.*

In Hortos factæ impenſæ.

Semiramis in Mediam profecta, animadverſa in quodam elato campo ſtupendæ altitudinis, ac magnitudinis petra, hortum in medio illius fecit: ubi ſumptuoſa voluptatis, delitiarumque cauſa ædificia, ex quibus & hortum, & omnem exercitum (is in campis erat) ſpectare poſſet, erexit. Hoc in loco diutiùs commorata eſt, quieti, delitiiſque dedita. *Diod. lib. 2. cap. 5.*

Babylone erat hortus penſilis juxta Arcem non à Semiramide, ſed à quodam Syro Rege in gratiam pellicis factus. Quæ cùm Perſa eſſet genere cupiens in montibus videre juxta morem Perſarum prata, viro perſuaſit, ut artificio excitaret hortum, qui arboribus, pratiſque patriam repræſentaret. Hujus horti ſingula latera jugeribus quatuor extendebantur. Aditus, veluti in monte erat, ædificiis altero ſuper alterum conſtructis, ut ex eo conſpectus longè, latèque pateret, Teſtudines in ſolo poſitæ erant, quæ totius horti pondus ſuſtinerent: Inde aliæ ſuper alias, excreſcente ſemper magnitudine ædificatæ. Nam ſuperiores in quibus horti murorum ſuperficies continebatur,

nebatur, altitudine quinquaginta cubitorum eminebat: earum latitudo pedum erat duodecim. Muri magna impenſa conſtructi ſpiſſitudine erant pedum viginti duorum. Solum hoc modo conſtabat. Erant poſitæ lapideæ trabes, longitudine pedum ſexdecim, ſex latitudine. Super has pro pavimento ſtratæ arundines, aſphalto compactæ. Deſuper cocti lateres duplici ordine gypſo ſtructi, tertiò tegulæ plumbeæ, ne qua humiditas ad teſtudines manaret. Aquarum inſuper receptacula, quibus humor efflueret. In hoc pavimento congeſta humus profunda, ut magnarum arborum radicibus ſatis eſſet, hortum efficiebat. In eo proceræ omnis generis arbores aſpectum jucundum reddebant. Lumen quoque adeò teſtudines invicem præbebant, ut in eis regia diverſoria haberentur. Prætereà aquæductus occultè fabricatus rigabat hortum. *Diodorus lib.1.cap.4.*

Nabuchodonosor Magnus Babylone lapideas moles excelſas excitavit, aſpectu montibus aſſimiles, omnique genere arborum conſitas. Hortum quoque penſilem fecit fama nobilem: eo quòd uxor ejus montanum proſpectum deſideraret, in Medorum religione educata. *Joſeph. lib.1. contra Apionem.*

Palmæ omnium naſcuntur clariſſimæ (quas regias appellavere ab honore, quoniam regibus tantùm Perſidis ſervarentur) Babylone uno in horto Bagou. (Ita enim vocant ſpadones, qui apud eos etiam regnavere.) Hortus ille nunquam niſi dominantis in aula fuit. *Plinius lib.3.cap.4.*

Indorum regis Nizamoxæ horti ampliſſimi omnium peregrinarum arborum, etiam noſtratium, quæ fructiferæ ſunt, genere ſunt excultiſſimi. *Joan. Metellus.*

In Bibliothecas.

☞ *Vide Tit. Bibliothecarum. Illic loci, hìc Sumptus habetur ratio.*

Julianus Apoſtata Conſtantinopoli portum unà cum porticu ad auſtrum vergente conſtruxit: atque in porticu bibliothecam ædificavit, eamque nobilium omni genere monumentorum referſit. *Sigonius lib.6. Imp. occid.*

Multi erant Florentiæ Græcarum, ac Latinarum literarum clariſſimi Profeſſores, aliique ingenio, atque facundia inſignes, quibus cum Laurentius familiariſſimè vivebat: in iis fuere Picus Mirandula, Politianus, Marſilius Ficinus, Chriſtophorus Landinus: & ex Græcis Joannes Laſcaris, & Demetrius Chalcocondylas, & Marulus Tharchaniotes, qui præclaris ingenii operibus editis, cum immortali laude in omnem poſteritatem vivent. Horum eruditione, ac diligentia fretus, bibliothecam, quam Coſmus inchoarat, nobilioribus, pervetuſtiſque codicibus: ac in ipſa præſertim Græcia conquiſitis, referſit. *Jovius in Leone X. lib.1.*

In Æraria.

Myniæ regis Orchomeniorum ærarium, unum eſt de Græciæ miraculis: nulli omninò eorum, quæ uſpiam alibi ſint, operum magnificentia ſecundum. Lapidei ſunt omnes parietes: rotunda operis forma, non valdè in acutum ſe tollente faſtigio: ſupremum lapidem toti ædificio modū inconvenientiæ eſſe dicunt. *Pauſanias in Bœoticis.*

Sixtus V. Pont. Max. anno Pontificatus ſui primo novum, & anteà inſolitum ærarium in caſtro Sancti Angeli erexit, & in illud confeſtim, decies centena aureorum millia intulit. Auxit idem ærarium totidem centenis millibus, anno Pontificatus ſui tertio. Poſterioribus annis eandem ſummam adhuc ter eidem ærario adjecit. Legem etiam ſanxit, ne quis denarium unum ex eo depromeret, niſi certa quædam pericula imminerent, certæque neceſſitates id poſtularent. Ne quis autem ſuorum ſucceſſorum neceſſitates ignoraret, in eadem lege illas his nominibus expreſſit. Primò, ſi generali Principum Chriſtianorum fœdere decernatur bellum, pro recuperatione Terræ Sanctæ: in eo bello tunc ærarium aperiendum, cùm Chriſtianorum exercitus mare trajecerit, & hoſtile littus tenuerit. Secundò, ſi tanta annonæ eſſet difficultas, ut extrema populi ruina eſſet metuenda. Idem etiam de peſte, & lue graviſſima, periculoſiſſimaque intelligendum. Tertiò, ſi qua provincia Chriſtiana, vel à Turcarum, vel ab hoſtium Eccleſiæ viribus oppreſſa manifeſtè periclitaretur: vel ſi quod Regnum ab hoſtibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ occupatum: eſſet recuperandum. Quartò, ſi bellum moveretur ditionibus ad ſedem Romanam pertinentibus: tunc etiam hoſte jam in procinctu exiſtente, idem ærarium aperiendum. Hiſce, & non aliis caſibus juravit ipſe Sixtus, & ab omnibus ſuis ſucceſſoribus jurari voluit, ad theſaurum hunc eſſe refugiendum.

In Portus, Navalia.

Cùm Phaleræo portu, neque magno, neque bono Athenienſes uterentur, Themiſtoclis conſilio triplex Piræci portus conſtitutus eſt: iſque mœnibus circundatus, ut ipſam urbem dignitate æquipararet, utilitate ſuperaret. *Probus in Themiſtocle.*

Herodes, Judæorum rex, portum Cæſareæ magnificum inſtruxit. *Vide Joſephum lib.15.cap.13. Antiq.*

Claudius Cæsar portum Hoſtiæ extruxit, circunducto dextra ſiniſtraque brachio, & ad introitum profundo jam ſolo mole objecta. Quam quò ſtabilius fundaret, navem ante demerſit, qua magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus: congeſtiſque pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim, in Exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes curſum navigia dirigerent. *Suetonius.*

In Horrea, Cellas.

Procopius teſtatur, Theodorici, Oſtrogothorum regis, in Italia horrea fuiſſe trium milliarium Italicorum in longitudine, & amplitudine unius milliaris continuata menſura.

Polydetus in hiſtoriis narrat de Gelliæ Agrigentini hominis liberaliſſimi ædibus, & in primis de domus cella vinaria. Fuiſſe in ea trecenta dolia ex eodem ſaxo exciſa, quorum unumquodque centum amphoras caperet. Habebat juxta labrum ingens natatorium, parietibus undique incruſtatis, amphorarum capax mille, ex quo defluebat liquor in vaſa. *Diodorus lib.13.*

In Aquæductus, Puteos.

Puteos, auctore *Plinio* in 7. Danaus, ex Ægypto advectus in Græciam, quæ vocabatur Argos Dipſion, fodit. Quod ſanè abſurdum eſt: nam conſtat, primò Abrahamum, & Iſaacum, ſicut patet ex *Gen.26.* ac deinde alios Hebræos de Ægypto egreſſos, duce Moyſe, per ſolitudines multos fodiſſe puteos, 393. ante Danaum. *Joſephus contra Appionem.*

Ἀγαμεμνόνεια φρέατα, id eſt, Agamemnonii putei de novis, & admirandis operibus dicebatur. Ajunt enim Agamemnonem, & circa Aulidem, & paſſim in omni Græcia puteos effodiſſe, ne per æſtum aquarum inopia laborari poſſet. *Auctor Zenodorus, & Eraſmus in Adagiis.*

Semiramis Ecbatanis regiam ædificavit. Verùm cùm aqua urbs, nullis propinquis fontibus, careret, aquæ ductum in eam urbem admodùm neceſſarium magna impenſa, laboreque perduxit. Eſt mons, ubi propinquus ſtadiis duodecim, nomine Orontes, aſper, & acceſſu difficilis: ut cujus recto itinere aſcenſus uſque ad ſummum ſtadiorum ſit vigintique. Ex altera montis parte lacus magnus fluvium efficit: quem illa effoſſo ab radice monte, in urbem induxit. Erat foſſæ latitudo pedum quindecim, altitudo quadraginta quinque. *Diodorus lib.2. cap.5.*

Cn. Pompejus, ne in ludorum ſpectaculis populo æſtus officeret, aquæ decurſum per ſubſellia theatri duxiſſe non ſine graviſſimis expenſis, dicitur. *Alex. ab Alex. lib.5. cap.16. Valer. Max. lib.2. cap.1.*

Q. Marcius rex, juſſus à Senatu aquarum, Appiæ Anienis, Tepulæ, ductus reficere, novam à nomine ſuo appellatam cuniculis per montes actis intra præturæ ſuæ tempus adduxit. Marcus Agrippa verò in ædilitate ſua, adjecta Virgine aqua, cæteris corrivatis, atque emendatis, lacus DCC. fecit: prætereà ſalientes CV. caſtella CXXX. complura etiam cultu magnifica: operibus iis ſigna CCC. ærea, aut marmorea impoſuit, columnas ex marmore CCCC. eaque omnia annuo ſpatio. Adiicit ipſe in ædilitatis ſuæ commemoratione, & ludos unde ſexaginta diebus factos, & gratuita præbita balnea CLXX. quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum. Vicit antecedentes aquarum ductus noviſſimum impendium operis inchoati à C. Cæſare, & peracti à Claudio, quippè à lapide quadrageſimo ad eam excelſitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxere Curtius (ſive Albudinus) atque Ceruleus, fontes. Erogatum in id opus ſeſtertium ter millies. Rivum quinetiam Anienis novo lapideo opere Claudius in urbem perduxit, diviſitque in plurimos, & ornatiſſimos lacus. Quòd ſi quis diligentiùs exiſtimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piſcinis, domibus, euripis, hortis, ſuburbanis, villis, ſpatioque advenientis extructos arcus, montes perfoſſos convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuiſſe in toto orbe terrarum. *Plin. lib.36. cap.15. & Dion. in Auguſto, & Suetonius.*

Adrianus I. Pontifex in aquæductibus, vel hoſtium, vel temporis injuria labefactatis, reparandis liberaliſſimus extitit. *Platina in ejus vita.*

Sixtus

Sistus V. Pontifex poſt obeliſcos antiquiſſimos incredibilis altitudinis, & admirandi artificii varios translatos, reſtauratos, & ſumptuoſiſſimè erectos: poſt collegia, xenodochia, palatia, ædificata, reſtaurata, dotata, circa annum Chriſti MDLXXXIIX. perfecit Aquæductum illum, toto orbe celebratum, urbi utiliſſimum, in monte Quirinali. Aquam in agro Columnio ſcaturientem à Martio Columna XXV. coronatorum millibus redemit, opus cum fiducia aggreſſus eſt, & ſuprà omnium exiſtimationem decimo octavo menſe perfecit. Laborabant quotidie hominum duo millia, ſæpè tria, nonnunquam quatuor. Expendit ducenta ſexaginta coronatorum millia: tandem in palatio Suſannæ, à latere thermarum Diocletiani, inſigni extructo fonti, ubi aquæ iſtæ colligebantur, nomen ſuum, quod ante Pontificatum habuerat, indidit, Felicemque vocavit.

In Cloacas.

Cloacarum opus in urbe Roma omnium maximum, & penè incredibile erat. Cùm eas rex Tarquinius Priſcus plebis manibus, & opera faceret, eſſetque incertum, labor an longior, an periculoſior, paſſim concita nece. Quiritibus hoc tædium fugientibus: tale remedium invenit Tarquinius, ut omnium, ita defunctorum corpora crucibus figeret, ſpectanda unicuique, ſimul & feris volucribuſque laceranda. *Plin. lib.36. cap.15.*

M. Agrippa cloacas ita purgavit, ut per eas in Tiberim navigaretur. *Dion. Nicæus in Auguſto.*

IN LOCATA SUMPTUS facti, Puta

In Animalia.

Videlicet in

Aves.

Augusto Cæsari poſt Actiacam victoriam redeunti Romam, inter gratulántes occurrit quidam corvum tenens, quem inſtruxerat hoc dicere, Ave Cæſar, victor, Imperator. Miratus Cæſar officioſam avem, viginti millibus nummorū emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate pervenerat, affirmavit Cæſari, habere illum & alium corvum, quem ut afferre cogeretur, rogavit. Allatus, verba quæ dixerat, expreſſit, Ave victor, Imperator, Antoni. Nihil exaſperatus Auguſtus, juſſit illum dividere donativum cum contubernali. Salutatus ſimiliter à pſitacco, item & à pica, utramque volucrem redemit. Sutor pauper eo exemplo perſuaſus corvum domi inſtruebat ad parem ſalutationem, qui impendio exhauſtus, ſæpè ad avem non reſpondentem dicere ſolebat: Opera, & impenſa periit. Aliquando tamen dictitatam ſalutationem dicere cœpit. Hac audita, Auguſtus dum tranſit, reſpondit: Satis domi ſalutatorum talium habeo. Corvus memoria tenens, quæ dominum quætentem ſæpè audiverat, ſubtexuit: Opera, & impenſa periit. Ad quod Cæſar riſit, emique avem juſſit, quanti nullam adhuc emerat. *Macrob. lib.2. Satur. cap.4.*

Aſinos.

Aſinum CCCC. nummorum emptum Q. Axio ſenatori, auctor eſt M. Varro, haud ſcio an omnium pretio animalium victo: opera ſine dubio geruli mirifica, arando quoque, ſed mularum maximè progeneratione. *Plin. lib.8. cap.43.*

In Aras.

Veneti an. 1105. aram S. Marci tabula argentea variis pretioſarum gemmarum generibus mirificè intertexta ornarunt, quæ in hunc uſque diem peregrinis urbem intento ſtudio inviſentibus præcipuum inter alia ejus miracula præbet ſpectaculum. *Sigon. lib.9. regni Ital.*

In Baptisteria.

Eustorgius ſecundus ad Eccleſiam Mediolanenſem gubernandam aſcitus an. 513. ad fontem Baptiſterii à ſe conſtructum mirifico artificio aquam per tectum templi adduxit. *Sigonius lib.16. Imp. occid.*

In Supellectilem sacram qualemcumque.

Justinianus Imper. Sacram menſam fecit, opus imitatione nulla æquandum. Conſtabat auro, argento, omnis generis lapidibus, lignis, metallis, omnibuſque rebus, quas terra feret, & mare, & totus mundus. Ex omni materia pretioſiora, plura, viliora pauciora collegerat: liquatiſque iis, quæ fluunt, ſicca illis immiſerat, atque ita formam menſæ aboleverat. Itaque varium illud opus contuentibus ſtuporem iniiciebat. *Cedrenus.*

Conſtantinopoli organa erant ex auro facta, quæ Michael Imp. conflavit. *Zon. tom.3.* Et Carolus Magnus per Georgium organa more Græcorum fieri curavit. *Antonius lib.4. cap.113. de Francorum geſtis.*

Henricus I. Imperator lanceam Dominicam, cui clavi crucifixi Chriſti artificioſè affixi erant, à Rudolpho Burgundionum Duce, cùm magnis præmiis, pollicitationibuſque nihil proficeret, ut tandem extorſit, cùm ſe regnum ejus ferro, & igni depopulaturum comminaretur. Quod tamen munus Imperator non tantùm auro, & argento copioſo, ſed & magna Suconum provinciæ parte eidem Duci compenſavit, ut *Luitprandus l.4. cap.12. & Otho Phriſingenſis l.9. c.8.* narrant.

Alphonsus Caſtus, Aſturum rex in Hiſpania, ex lapidibus pretioſis crucem auream fabricare ſtatuerat. Ab Eccleſia ad palatium venienti occurrerunt duo Angeli habitu peregrinorum, ſe eſſe aurifices aſſerentes. Rex autem datis auro, & lapidibus, etiam dedit domum, in qua poſſent ſecretiùs operari. Hora prandii miſit nuncios ad aurifices, ſollicitans quinam eſſent. Cùmque nuncii acceſſiſſent, invenerunt crucem miro opere conſummatam, & coruſco ſplendore totius domus penetralia illuſtrantem. Rex convocato clero, & populo, & Pontifice, glorioſam crucem altari obtulit Salvatoris: & à Leone III. Papa obtinuit, ut in Ovetenſi Eccleſia Archiepiſcopus crearetur. *Rod. tol. lib.4. Rer. Hiſp. cap.9.*

In Tabulas, Imagines, Picturas.

☞ *Conſule Tit. Picturæ amatorum, quatenus in eam impendunt.*

In Statuas, Obeliscos, Coloſſos.

☞ *Horum poſſeſſio ad Opulentiam pertinet. Effectio verò, ſi artem ſpectes, Mechanica eſt: ſi ſumptum, hujus loci: ſi dedicationem, Munificentia erit: ſi meritum, ejus, cui ponitur, ad Juſtitiam vel religioſam, vel profanam.*

Deorum, Divorum.

Scriptum reliquit Lucianus in Philopſeudo, miraculum illud ſtatuæ Memnonis fuiſſe celeberrimum, in templo Serapidis Ægyptiis Thebis. Nam ſponte ſua manè cum radiis Solis tangeretur, ſuavem ſonum emittebat, & neſcio quid lacrymabile ſub Solis occaſum, cùm matris adventu lætari, triſtari diſceſſu putaretur, ut teſtatus eſt etiam Cornelius Tacitus. Hanc ſtatuam etiam reddere reſponſa conſueviſſe, antiqui dixerunt. Fama eſt, ſtatuam nigri lapidis fuiſſe, quæ ſonum illum emitteret. Scribit *Strab. lib.17.* ſe Thebas in Ægyptum aliquando contendiſſe, ubi duo altiſſimi erant coloſſi, ex integris lapidibus inter ſe propinqui: quorum alterius ſuperiores partes jam corruerant ob terræ motum: hujus pars illa, quæ reliqua erat ſuper baſe, circiter horam primam, ut inquit, ſonum emiſit, haudquaquam magnum, ingenti præſente multitudine, *Zezes Chil. 6. hiſt.64.* cippum, ait vocatum fuiſſe Memnonem ab Ægyptiis, & columnam rubri varii lapidis fuiſſe, quæ ſonum illum emitteret: lætum quidem per diem, quia lætaretur matris præſentia: aut lugubrem per noctem, quia doleret illius diſceſſu. *Natal. Comes Mythol. lib.6. cap.3.*

Prisci homines pro ſua erga Deos pietate non aliis materiæ generibus ad ſimulachra deorum uſi ſunt, quàm ebeno, cypariſſo, cedro, quercu, hedera cilicia loto: verùm Mercurio Cyllenio è citro ſignum ædificatum eſt, pedum haud minus octo altitudine. *Pauſ. in Arcad.*

Græci quàm ſplendidi, & magnifici, ac minimè omnium parci in colendis diis fuerint, magno illud documento eſt, quòd ex India, & ab Æthiopibus ebur ad ſigna deorum facienda advehendum curarint. *Pauſ. lib.5.*

Athenienses Phidiam tulerunt, quamdiù is marmore potiùs, quàm ebore, Minervam fieri dicebat, quòd diutiùs nitor eſſet manſurus: ſed, ut adjecit, Et vilius, tacere juſſerunt. *Val. Max. lib.1. cap.2.*

Alphonsus Aragonum, & Siciliæ rex, ſuis temporibus vicit omnes ætatis illius reges, cùm in iis comparandis, atque exhibendis, quæ ad ſacrificiorum apparatum, & ſacerdotum ſpectarent ornatum, tum in ſanctorum ſtatuis. Nil ætas illa, aut ſacris ſolemnibus: aut publicis ludis ab eo editis, vidit magnificentius. *Pont. cap.13. de Magnif.*

Hominum.

Robertus, Romanorum dux, pœnitens, quòd Licardum tertium fratrem veneno necaſſet: cùm Hieroſolymam voti cauſa eſſet iturus, Romam profectus, ut Benedictum IX. Pontificē Romanum abeundi facultatem, pro more, rogaret: magnas fecit largitiones: veſtivit etiam ſtatuam Conſtantini Imperatoris pallio aureo, dictitans, Romanos eſſe ingratos, qui

talem

talem principem non donaret in annos ſingulos veſte. Templis varia donaria intulit. *Polyd. lib. 8.*

IN ARMA, MACHINAS.

SALOMON Rex ducenta ſcuta ex auro ductili fecit, inſumptis in ſingula ſexcentis auri ſiclis: item trecentos clypeos ex auro ductili, in quos ſingulos trinæ auri minæ impenſæ ſunt. Et hæc in nemoroſi Libani domo repoſuit. 3. *Reg.* 10.

DEMETRIUS POLIORCETES, dux in exercitu inſtruendo, quam tractando videbatur melior, quod omnia ad uſum ſuppetere vellet affluenter, eſſetque in claſſe, machinamentiſque ſplendidè parandis, atque in iis cum voluptate commentandis, nimiùm curioſus. Nam ſolers cùm eſſet, atque intelligens non ad ludicra, neque ad ſtudia futilia applicuit ingenii ſui præſtantiam, aliorum regum more, tibiis canentium, pingentium, & tornantium: ſed erant etiam vulgata opificia regalia, granditatemque ratio fabricæ habebat, unà cum artificio, & ſolertia celſitudinem quandam mentis, & magnanimitatem auctoris repræſentantibus operibus: ut non ingenio tantùm, & opulentia, verùm etiam manu regia viderentur digna. Quippè mole vel amicos percellebant, venuſtate retinebant, & hoſtes. Senum denum, & quinum denum ordinum navigia ejus ſtabant, ſtupentes hoſtes cùm litora ſua præterveherentur. Jam Helepoles velut ſpectaculum erat obſeſſis. Siquidem ex omnibus legibus Lyſimachus Demetrio infeſtiſſimus, qui ad repellendum eum ab obſidione Solorum in Ciliciam venerat miſit ad eum oratum, ut machinas ſuas, & claſſem oſtenderet ſibi in curſu. Ubi ille oſtendit eas, diſceſſit cum admiratione. Rhodii diù ab eo obſeſſi, bello compoſito machinas aliquot ab eo petivere: quò & illius potentiæ pariter, & virtutis ſuæ haberent monumentum. Helepolis machina tantæ vaſtitatis erat, ut ingenti labore ponderis, & amplitudinis cauſa vix duo ſtadia duobus menſibus promoveretur. Hujus fuit quadrata baſis, habuitque ſingula imæ quadraturæ latera octonum, & quadragenum cubitorum. Aſſurrexit ſexaginta cubitos in faſtigium ſubvexa, ſuperioribus lateribus baſi contractioribus. Intus contignationibus, frequentibuſque cameris intercepta fuit. Frons ejus hoſtium ex adverſo aperta, & per quamque contignationem feneſtrata. Hinc omnis generis miſſilia mittebantur. Nam referta militibus erat omni genere armorum præliantibus. Quòd verò non vibraret, neque nutaret, cum moveretur, verum recta in baſi, ac nihil fluctuans in æquilibrio cum ſtridore, & vi magna promoveretur: id pavorem ſimul animo, & oculis oblectationem exhibebat ſpectantium. *Plut. in ejus vita.*

DIONYSII tyranni Syracuſani in apparatu bellico contra Carthaginenſes magnificentiam *petè ex Diodori Siculi libr.* 14. Convocatis ex variis regionibus fabris omnis generis, feruntur centum, & triginta millia facta clypeorum, gladiorum verò, & galearum idem numerus: thoraces variis ſtructuriis cujuſque formæ compacti, ſuprà quatuor millia. Hos equitibus, & tribunis, centurionibuſque militum, nec non mercenariis, quorum cuſtodiæ corpus ſuum ſtipandum crediderat, diſtribuere decreverat. Tum catapultæ cujuſque generis, & innumera aliorum telorum conſtructa multitudo. Naves ædificatæ ſuprà ducentas, vetuſtæ refectæ centum decem.

IN VESTIMENTA.

Scribit ARISTOTELES, in Deliciarum admirabilibus Alciſthenem Sybaritam hujuſmodi magnificentiæ veſtem ob delicias comparaſſe, ut in Lacinio in Junonis congreſſibus poneretur, ad quos Itali omnes conveniebant: atque omnibus oſtenſis ſola illa admiratione digna judicabatur: quàm cùm haberet ſenior Dionyſius, pro centum, & viginti talentis Carthaginenſibus tradidit. *Athenæus lib. 12. cap. 19.*

OTHOCARUS Boemiæ rex bis ſingulis annis totam ſuam aulam veſtiebat. Inter ſacerdotes deinde quoſcunque obvios, quotannis pannum lautiorem, qualem ei vectigalia ex Danubio ſuppeditabant, aſſiduè diſtribuebat. Poſtremò per tempus Quadrageſimæ, quingentos ſimul mendicos novis veſtibus induebat, ac prætereà cibo ſuo eoſdem alebat: ſic interim ſuperſtitionem peroſus, ut illam ſupplicio puniendam duxerit. *Dubravius lib. 17.*

IN THRONUM.

SALOMON rex fecit ſolium eburneum, ſed gradibus, cum duodecim leonibus, idque auro probatiſſimo operuit. 3. *Reg.* 10.

IN SUPELLECTILEM qualemcumque.

SALOMONIS regis vaſa omnia, omniſque ſupellex ex auro puriſſimo erat ſine argento, quippè quòd Salomonis tempore nullius habebatur pretii. 3. *Reg.* 10.

Scribit EUPHORION in Hiſtoricis commentariis, Dionyſium juniorem, Siciliæ tyrannum, candelabrum in Tarentinorum urbe depoſuiſſe, quod tot habere lychnos accenſos poterat, quot dies in ipſo anno connumerantur. *Athenæus lib. 16. cap. 22.*

Cùm tabernaculum NERO octanglium, mirum elegantia, & ſplendore ſpectaculum paraviſſet: Oſtendiſti te ipſe, inquit, pauperem, Seneca, quippè hoc ſi perdideris, tale haud comparabis aliud. Et verò ita cecidit, ut merſo navigio tabernaculum periret. At Nero Senecæ memor tulit id moderatius. *Plutarchus de Non iraſcendo.*

CAROLUS Magnus tres menſas argenteas habuit, quarum unam, in qua urbs Conſtantinopolitana inſculpta erat, baſilicæ beati Petri; aliam, ubi imago urbis Romæ cernebatur Eccleſiæ Ravennati dono dedit. Tertiam filiis reliquis, ubi inerat orbis terrarum deſcriptio. Sunt item, qui ſcribant, hanc auream fuiſſe. *Platina.*

IN LIBROS.

☞ *Impenſa libraria duplex, aut ut qui non ſunt, libri edantur, aut qui editi ſunt, comparentur. Editio alia Theorica, doctorum virorum propria, qui componunt, & interpretantur: alia Mechanica, tum ſcriptorum, & librariorum, tum typographorum. Acquiſitio autem, ſic uti cæterarum rerum pecunia fit.*

Comparando libros.

☞ *Vide Tit. Bibliothecarum.*

PLATO Philolai Crotoniatæ Pythagorici libros tres centum minis, etiam in difficultate rei familiaris, mercatus eſt; ex quibus multa in ſuum Timæum uſurpavit. Id quod ei Timon in Sillis ſuis palàm objecit: *καί σὺ πλάτων. καὶ γαρ σε μαθητῶ ὁ πόθος ἔσχε. πολλῶν ἀργυρίων ὀλίγων ἤλλαξας βίβλον, ὅθεν ἀπεχόμενος γράφειν ἐδιδάχθης. Gellius lib. 3. cap. 17. Noct. Attic.*

ARISTOTELES Stagirites pauculos libros Speuſippi philoſophi emit talentis Atticis tribus: ea ſumma fit nummi Romani H. s. duo, & ſeptuaginta millia. *Gellius lib. 3. cap. 17.*

APELLICON TEJUS, civis Athenienſis, Athennionis tyranni amicus; Ariſtotelis bibliothecam emit. *Athenæus libro* 5. *cap.* 11.

Dionyſius lib. 4. ſcribit, anum quandam incognitam tuliſſe libros novem ad Tarquinium Superbum, affirmantem eſſe eos deorum oraculis plenos, dixiſſeque velle ſe vendere non minùs trecentis Philippæis aureis: & rege rem ludibrio habente, illa tres coram combuſſiſſe: ac rurſus pro reliquis idem pretium poſtulantem, rege tum magis anus inſaniam deridente, tres alios exuſſiſſe: atque iterùm rogaſſe, ut pretium daret. Tum regem miratum conſtantiam mulieris, emiſſe libros tres: & quia anus accepto pretio nuſquam poſteà viſa eſt, jam tum creditum, eam Sybillam fuiſſe, cui, quemadmodum Poeta ait, magnam mentem, animumque Delius inſpiraſſet vates: nam Sybilla dicta eſt, quòd Dei noſſet conſilium, *σιός* enim lingua Æolica Deus vocatur *βόλη* autem conſilium. *Polyd. lib. 4. cap. ult. de rerum invent. ex Plin. lib. 13. & Gellii lib. 1. cap. 19. Noct. Att.*

L. LUCULLI commendanda fuit, & perhibenda in librorum ſupellectilem impenſa. Multos enim, & eleganter deſcriptos cumulavit. Erat enim eorum uſus, quàm comparatio liberalior, quòd bibliothecæ omnibus paterent, atque in adjectas ambulationes, ſcholaſque reciperentur omnes Græci, velut ad Muſarum hoſpitium (*ἑστίαν πρυτανεῖον ἑλληνικόν*) divertentes, tempuſque inter ſe traducentes, ubi libenter ſe ab negotiis aliis reficiebant. Ingrediebatur ſubinde ipſe ambulationes, ac cum ſtudioſis conferebat, atque negotia procurantibus publica, ubi operam ipſius requirebant, erat præſto. In ſumma erant convivium, & prytaneum Græcum omnibus Romam commeantibus ejus penates. *Plut. in Lucullo.*

DOMITIANUS Imp liberalia ſtudia in initio Imperii neglexit: bibliothecas tamen incendio abſumptas impenſiſſimè reparari curavit, exemplaribus undique petitis: miſſiſque Alexandriam, qui deſcriberent, emendarentque. *Suetonius.*

FIDUS OPTATUS grammaticus, librum Æneidos Virgilii authographum in Sigillariis xx. aureis redimit. *Gellius libro* 2. *cap.* 3.

PLINIUS junior refert, potuiſſe ſe (cùm procuraret in Hiſpania) vendere ſuos Commentarios Largo Licinio quadringentis millibus nummorũ. Quis nunc regum (inquit Budæus) emere bibliothecam confertiſſimam decem aureorum millibus velit, quanti à Plinio civis unus privatus regeſta quædam extemporanea licitari auſus eſt? *Plin. lib. 3. epiſt.*

JO. PICUS MIRANDULA ſeptem aureorum nummorum millia in bibliothecam privatam erogavit. *Jo. Franciſcus in ejus vita.*

Interpretando.

PTOLEMÆUS Philadelphus bibliothecæ ſtudio ſacros quoque Hebræorum theſauros habere concupivit. Ejus rei cauſa centum viginti millia Judæorum libertate donavit, qui in Ægypto ſervitutem ſerviebant: ſcripſitque ad Eleazarum Pontificem Hieroſolymitanum, ut ad ſacram Hebræorum hiſtoriam in Græcum ſermonem vertendam, ex ſenioribus Judæorum, & qui ſacrarum eſſent litterarum peritiores, ad ſe mitteret, ex unaquaque tribu peritos. Cæterùm Euſebius ſeptuaginta miſſos prodidit: cui magis ſcriptorum uſus, quàm veritas aſtipulatur. Lex duorum, & ſeptuaginta dierum ſpatio in Græcum verſa eſt, Phalerii procuratione, qui tum regiæ præerat Bibliothecæ. Is roganti regi, quid eſſet, quòd Græcorum nemo divinæ legis meminiſſet? religionem dixit obſtitiſſe. Deterritos Theopompi, & Theodectis clade cæteros ſcriptores, divinum arcanum nihil attingere auſos: quoniam horum uterque pauca ſuis ſcriptis ad eam legem attinentia immiſcere auſus: hic luminibus aliquandiù captus, ille mente alienatus, ſuæ impietatis ſupplicium expendiſſent. Qui ab Eleazaro in Ægyptum miſſi fuerant, poſt converſionem legis, in Palæſtinam, magnis muneribus à rege donati, abierunt. Magna ad hæc donaria Philadelphus Hieroſolymis in templo dedicavit, Eleazari epiſtola triginta aureas pateras fuiſſe ſignificat, & argenteas totidem crateres quinque, centum talenta. Joſephus menſam ex ſolido auro, eximii ponderis, adiicit, Euſebius auctor eſt, quarto Philadelphi anno hæc contigiſſe. Eutropius in trigeſimum ferè annum reiicit. *Sabell. lib. 8. Enn. 4.*

FRIDERICUS II. Imp. lib. Ariſtotelis omnes, & pleraque alia in ſacris, & prophanis literis univerſamque philoſophiæ ſupellectilem ex Græco, atque Arabico ſermone, per interpretes doctiſſimos vertendam curavit, & Academiis legendam exhibuit. *Aventinus lib. 7. Annal. Bojorum, & Collenucius lib. 4.*

AUGUSTANUS patricius Leonardus Beck à Beckenſtain ad Laonici Chalcocondilæ de rebus Turcicis hiſtoriam Græcam Latino ſimul, & Germanico idiomate convertendam ſumptus liberaliſſimè ſuppeditavit, & trecentos florenos integro triennio abſque ullo fœnore utendo Jo. Oporino conceſſit.

Tranſcribendo.

☞ *Suprà de Sumptu in Notarios, tanquam in Perſona. Hìc de re Subjecta.*

CONSTANTINUS Magnus Imp. ſuis ſumptibus libros ſacros in plurima exempla transfundi curavit. *Euſebius lib. 3. & Socrates lib. 1. cap. 9.*

AMBROSIUS Alexandrinus, vir nobilis, & dives, per Origenem à ſecta Valentini, & Marcionis converſus, Origenem ad ſacras literas commentandas cohortatus eſt, ſuiſque ſumptibus aluit, ſeptem ei notarios, & complures puellas ad ſcribendum excitatas adjungens, qui invicem ſibi per horas ſuccederent. Suidas, & Origenes in epiſtola quadam. Hic igitur velut *ἐργοδιώκτης* operis penſum exigens, omne, quod ab Origene ſcribebatur, ſeu proprium ſibi vindicans, amicis paſſim citrà delectum legendum offerebat, atque ſecretò ſcripta in publicum emittebat. Et hoc eſt, quod Origenes de Ambroſio conqueritur in quadam epiſtola, quam ſcribit ad Fabianum Romanæ urbis Epiſcopum.

NICOLAUS V. Pont. Max. bibliothecam Vaticanam mirum in modum auxit, libros ſacros plurimos ſumptibus ſuis deſcribendos curavit: ut cùm in cæteris rebus publicè, & privatim liberalis fuerit, in hac ipſa magnificus quoque videri potuerit. *Platina in ejus vita.*

Excudendo.

☞ *Liberalitas in Typographos bujus eſt loci, ſi ſubjectam rem inſpectes: ſin Perſonas ſuperioris.*

Biblia multiplici lingua, Hebraica ſcilicet, Chaldaica, Græca, atque Latina imprimi curavit tomis ſex, chartis ſeptingentis viginti quinque, an. Domini 1515. Franciſcus SIMENIUS de Ciſneros, Cardinalis Hiſpaniæ, & Archiepiſcopus Toletanus, ac regnorum Caſtellæ Archicancellarius, quæ editio Complutenſis vulgò dicitur à loco ſuæ nativitatis. *Michael Neander in Erotematis linguæ ſanctæ.*

JOANNES PORKEN, præpoſitus Eccleſiæ S. Georgii Colonienſis Pſalterium Chaldaicum Æthiopicis characteribus imprimi curavit, cùm Indos, Æthiopes Romæ familiares habuiſſet. *Michael Neander in Eroten. linguæ ſanctæ.*

FERDINANDUS Imperator Viennæ Teſtamentum novum Syriaco ſermone ad convertendam Turcarum gentem excudi curavit.

PIUS IV. officinam libris ſanctorum Patrum accuratè, & integrè imprimendis adornavit, accito magnis præmiis Paulo Manutio Aldi filio, viro tum in ea facultate, tum vario literarum genere celeberrimo. *Panvinius.*

Eſt verò in hoc ipſo genere regia PHILIPPI Hiſpaniarum regis magnificentia, qui per Chriſtophorum Plantinum, typographum Antuerpienſem, & elegantia, & diligentia nemini ſecundum, Biblia ſacra ea ſpecie excudenda curavit, ut complutenſem editionem tanto ſuperent intervallo, quanto & Mecœnatis, dignitate, & ſeculi felicitate antecellunt. Itaque licèt ampliſſimam gloriam Ferdinandus, & Elizabeta, pulſis Mauris è tota Hiſpania, ſibi vindicarint: attamen Philippus tanto majorem, quò præclarius eſt armis Chriſtianis contra impios pugnare, quàm externa vi. Tulere illi quidem Catholicorum nomen, quia bello victores: ſed hìc longè juſtius, qui arma Chriſtianis militibus contra hæreticos, portaſque inferorum nunquam interitura ſubminiſtrarit.

JO. SAMBUXI Tirnavienſis Hungari, Medici, & Philoſophi ſummi, Hiſtorici Cæſarei, privata licet, at maximorum regum ſtudiis anteferenda liberalitas. Patrimonii ille formati non minimam partem in vetuſtiſſimorum auctorum redemptionem per Gallias, Germaniam, Italiam, & Hungariam contulit, cùmque ſibi in omni genere antiquitatum, ſive numiſmata, ſive ſigna, ſive volumina ſpectes, theſaurum comparavit, ut cum pleriſque etiam publicis, & principalibus bibliothecis certare poſſe videatur. Nimirum hic unus verum divitiarum uſum in conſimili genere ſtudii & perſpexit, & conſecutus eſt. Nam præter eorum mortem, qui tanquam formicæ Indicæ literariis inſident theſauris, & quàm in comparando prodigi ſunt, tam in communicando avari, & tenaces: animo non modò philoſophico, ſed planè heroico, quæcumque multò labore, magno ſumptu comparavit, liberali manu typographis tum reliquis, tum imprimis Chriſtophoro Plantino communicat: ea quidem ratione, ut cùm nihil aliud, quàm Reip. literariæ utilitatem, vel cùm rei familiaris detrimento ſpectare videatur, dignus ſit, cujus nomen grata poſteritas nunquam intermorituris laudibus celebret.

IN NAVES. NAVES MAGNIFICÆ.

ARGONAUTÆ celebratiſſimi & hiſtoricorum, & poetarum monumentis. Quorum audacia in tam longinqua peregrinatione ſuſcipienda prodita eſt, magnificentia verò in navi ipſa tam celebri inſtruenda. Argonauticon quarto Apollonius ſcribit, in carina navis Argus à Pallade lignum fuiſſe impactum ex Dodonide phago, quod humana voce fungeretur, quandoque Læcophronis Interpretes Jaſonem cum ſociis quadraginta novem incendiſſe, Argo ſcribit, quæ:

λαλήσαντα εἶχεν τρόπιν ἐν τῆς Δωδώνης δρυός.

id eſt, carinam habebat loquaciſſimam ex Dodone quercu. Propterea Lycophron alicubi *λάληθρον κίσσαν*, id eſt, garrulam nuncupat picam. Porrò ſcribit vetus Arati Phænomenon interpres, Danaum ab Ægypto ſe fratre proripientem, auxilio Minervam invocaſſe, à qua primùm ſit compacta navis, quæ Argo eſt appellata, eaque Argos petierit Danaus. Auctor autem Æſchylus, ab Minerva eadem materia quandam loquentem navi inſertam: quod repetit Hyginus quoque. *Cæl. lib. 29. cap. 15. A. L.*

Primus POLYCRATES, Samiorum tyrannus cùm naves feciſſet, Samias ex patria appellavit. *Athen. lib. 12. cap. 19.*

Navem fecit SESOSTRIS, Ægyptiorum rex ex cedro ducentorum octoginta cubitorum longitudine, deauratam exterius intus verò deargentatam: quam dono obtulit Deo, qui Thebis colitur. *Diod. lib. 1. cap. 4.*

Scholia, quæ feruntur in ARISTOPHANEM, tradunt, Athenis duas fuiſſe naves uſui publico deſtinatas, è quibus Salaminia ſubveheret ad judicium evocans, Paralus avehere. Nam Theoris eos vehebat, qui voti, aut religionis ergo Delphos, aut alio quopiam proficiſcerentur. *Brodæus in Epigram.* Aliter Suidas, inquiens: Paralus, & Salaminia, fuerunt triremes ſacræ, & publicæ: quæ cùm celeres eſſent, ad uſum Reipub. mittebantur, tanquam celeres miniſtræ: quarum altera ſpectaculis, & ſacrificiis, altera Reipublicæ ſerviebat. Athenienſes mittunt Paralum, ut Alcibiadem ad judicium arceſſerent. Et alibi:

Paralus

Paralus, dicitur quoque Salaminia. Poſteà aliæ duæ acceſſerunt. A Antigonia, & Demetriaca.

Athenis non longè ab Areopago navis fuit olim maxima ad Panathenæorum pompam fabricata. Eam tamen, & omnes alias ſuperavit ea, quæ in delo fuit, è cujus foris novenis eminebant remigibus tranſtra. *Pauſanias lib.* 1.

Athenis trecenti cives opulentiſſimi, & qui oneri ferendo eſſent, deligebantur, qui Trierarchi, ab inſtruendis triremibus pro patriæ defenſione dicebantur. Ideò verò opulentiſſimi, quia patrimoniale eſſet hoc munus: ſuiſque ſumptibus Trierarchis naves præparare neceſſe fuit. Attamen ſi quis erat, qui diceret ſe propter facultatum mediocritatem, imparem oneri eſſe, ita excuſabatur, ſi alium ex reliquis civibus ſe opulentiorem eſſe indicaret, huic enim incumbebat, aut munus omninò ſubire, aut ſi ſe contra in minoribus facultatibus eſſe contenderet, quàm ille eſſet, qui ut aſſiduus, atque idoneus electus erat: fortunas ſuas omnes cum illius opibus commutare. Ita enim fore, ne falſa inopiæ occaſione quiſquam debitæ patriæ munera prodere, ac deſerere audeat. Hæc actio περὶ B τῆς ἀντιδόσεως appellabatur. Igitur cùm ea Lyſimachus adverſus Iſocratem in judicio contendiſſet, Iſocratis Trierarchiæ munus eſſe, judices pronunciarunt. *Iſocrates in orat.* περὶ ἀντιδόσεως.

Sacra Antigoni triremis celebris eſt, qua Ptolemæi duces circa Leucollam Coæ ſuperavit: eamque poſteà Apollini depoſuit. Et tamen illa neque tertiam partem, ne dicam quartam, fortaſſe habuit navis Syracuſiæ Hieronis. *Athen. lib.5. cap.7.*

Multos reges opulentia Ptolemæus Philadelphus ſuperavit, multitudine etiam, & magnitudine navium omnes alios antecelluit. Trigintiremes naves quidem duæ, unà vigintiremis, tredeciremes quatuor, duodeciremes duæ, undeciremes quatuordecim, noviremes triginta, ſeptiremes triginta, & ſeptem, ſexremes quinque, quinqueremes decem, & ſeptem. A triremi uſque ad ſeſquialteram proportionem habentes, harum duplex erat numerus. Eæ naves, quæ inſulas, aliaſque civitates, quibus imperabat, & in Lyciam miſſæ fuerunt, trium millium numerum ſuperabant. *Athenæus lib.5. cap.5.*

Quadraginta ordinum navem Ptolemæus Philopator fabricatus eſt, ducentorum octoginta cubitorum longitudine, C altitudine autem uſque ad ſummitatem puppis duodequinquaginta; nautis extra remiges quadringentis inſtructam, remigum quatuor millibus. Ad hæc milites armatos capiebat in foris, & tabulato paulò minùs tria millia. Verùm ſpectaculum tantùm exhibuit illa, atque perparum ab immobilibus ædificiis ſpecie differens, ad oſtentationem, non ad uſum magno periculo, & labore mota fuit. *Plut. in Demetrio, & Athen. lib.5. cap.6.*

De nave Hieronis Syracuſii, cujus Archimedes geometra procurator fuit, quidam Moſchio commentarium edidit, è quo recitat *Athen. lib.5. cap.8.* Poſteaquam in mare deducta eſt, frumenti ſexaginta millia in navim congeſta fuerunt, decem millia fictilium plenorum ſalſamentis Siculis, carnium viginti millia talentorum, atque aliorum onerum viginti millia, præter id quod aderat etiam navigantium commeatus. Hieron poſteaquam omnes portus cognovit, atque hos quidem poſſe navem excipere, in illis autem ineſſe periculum: Ptolemæo in Alexandriam donum miſit, quandoquidem magna erat annonæ penuria in Ægypto. Archimelum epigrammatum poetam, qui epigramma in navim conſcripſit, centum frumenti medimnis decoravit: quod etiam ſuis ſumptibus miſit D in Pyræum. Epigramma recitat *Athenæus ibid.*

A Dionysio tyranno quinqueremes primùm ædificari cœptæ. Nam cùm audiſſet Corinthi triremium prima fuiſſe corpora ædificata: primus quoque in urbe Syracuſana, quæ ab illis olim deducta fuiſſet colonia, ſtructuræ navium aliquid adiici, corporaque navigiorum ampliora compingi poſſe, machinatus eſt. *Diodorus lib.*14.

Navis admirationis præcipuè fuit, quæ ex Ægypto Caii principis juſſu, obeliſcum in Vaticano circo ſtatutum, quatuorque truncos lapidis ejuſdem ad ſuſtinendum eum adduxit: CXXM. modium lentis pro ſaburra ei fuere. Longitudo ſpatium obtinuit magna ex parte Oſtienſis portus latere lævo. Ibi namque demerſa eſt à Claudio principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in ea exædificatis obiter Puteolano pulvere, advectiſque. *Plin. lib. 16. cap.*40.

Vetus eſt mos civitatis Venetæ, in Regum, & principum ad urbem acceſſu, Bucentaurum purpura, & auro inſternere. Eſt hæc navis totius Senatus, urbanorumque magiſtratuum capax, agiturque nunc remo, nunc velis, ſæpius remulco. Sedet princeps in puppi auro ſtrata, aureo, & ipſe ferè pallio amictus: aſſidet ſummus ille ordo dextra, lævaque majeſtatis, & ſilentii E plenus, aurum, holoſericum, & quòd minimum eſt, purpura hunc veſtit ordinem: turbæ, tibiæque, & alia id genus inſtrumenta circumſonant, Bucentorum ſuburbana præcurrunt navigia, Paraſchermos patrio ſermone vocant. Hæc publico ſumptu aulæis, & feſta fronde, in topiarii operis modum inflexa, ad tempus inſtruunt, à prora, & puppi pulpita altiuſculè attolluntur: quorum faſtigiis pueri, puellæque eleganti forma, cultuque exquiſitiſſimo alii alios mentiti genios, latenti machina ſubnixi, puro, apertoque librantur aere: hi aurea ſyſtra, illi thyrſos, aliaque deorum, dearumve geſtantes inſignia: inferiore gradu adoleſcentes in Tritonum, & Nympharum ſpeciem figurati, ſuo quiſque ſtatu, concentu tamen uno ſubvehuntur. Aurea ad hæc ſigna toto navigio defixa, ventoque agitata, ſpectaculum præbent tam voluptuoſum, ut nullum ſit propemodùm aliud, quod merito huic uni comparari poſſit. Bucentaurum tanta vis cymbarum ſequitur officii gratia, ac ſpectandi ſtudio, ut interdum, quàm longè, latèque toto ſtagno fert proſpectus, tegantur aquæ frequenti comitatu: Quam re- F rum pompam ſi quis vetuſtarum rerum peritus, diligentiùs ſpectet, haud multùm diverſam agnoſcat ab ea, quàm veterum ſcriptorum quidam in quiritium triumphis prodidere, etſi rerum formæ diverſæ, quia in diverſo elemento, ut exornatiſſima illa navis, ac longè maxima ſit curru, etſi nullus reperiri poſſit, qui cum tanta queat mole merito comparari: ſuburbanæ naves, quæ inſigni apparatu præcedunt, urbium ſimulacra, earum expugnationes, ac totum rerum geſtarum ſchema: cymbarum ille frequens comitatus civium officia, curruum longo ordine comitantium. *Sab. lib.8. En.* 10.

Gustavus, rex Sveciæ, tantæ magnitudinis navem habuit, ut mille armatos, naucleroſque trecentos reciperet. Idem primus uſum biremium, triremium, ac quadriremium circa annum Domini MDXL. in mari Gotico, ac Svetico, manu artificum Venetorum liberali ſtipendio conductorum, introduxit contra prædones Moſchorum, ac Eſthonum. *Olaus lib.*10. *cap.* 3.

LIBERALITAS SUMPTUARIA RESPECTU RERUM, IN QUAS FIT SUMPTUS, QUATENUS hominis ſunt actiones, vel Paſſiones quædam. G Sumptus facti.

IN NATURALIUM RERUM INVESTIGATIONEM.

Alexander magnus rex, inflammatus cupidine animalium naturas noſcendi, delegataque hac commentatione Ariſtoteli, ſummo in omni doctrina viro: aliquot millia hominum in totius Aſiæ, Græciæque tractu, quos venatus, aucupia, piſcatuſque alebant, quibuſque vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviaria in cura erant, adhibuit, ne quid uſquam gentium ignoraretur ab eo. Quos percontando, quinquaginta fermè volumina illa præclara de animalibus Ariſtoteles condidit. *Plin. lib.*18. *cap.*16.

IN SACRIFICIA.

Teletas majores feſtivitates Homerus appellavit, cum ſacra quadam conſtitutione, ob impenſas, quæ in eas fiunt magnificas. Nam τελεῖν impendere ſignificat: unde πολυτελεῖς, multa impendentes: εὐτελεῖς pauca impendentes. *Athen. lib.2. cap.2.*

Alexander Magnus, etiamnum puer diis largè thus adoH lens, à Leonida pædagogo reprehenſus fuit, dicens: Tam profuſè adolebis, quando Sabæos ſubegeris. *Plutarch. in Reg. apophteg.*

Idem Aſiatica expeditione ſuſcepta, magnifica diis ſacrificia in Dio Macedoniæ urbe, Jovique, & muſis ſcenica fecit certamina, per novem dies, cùm Muſis ſingulis diem unum dedicaſſet. Scenam verò tam amplam ſtruxit, ut centum lectos caperet, ubi amicos, & qui ordines in exercitu ducebant, legatoſque civitatum convivio accepit. Splendiſſimi apparatus convivio cùm multi interfuiſſent, militibus etiam omnibus ſacrificiorum, & convivii partes diſtributæ ſunt. *Diodorus lib.* 17.

Antiochus Epiphanes, in ſacrificiis, quæ civitatum cauſa in honorem deorum celebrabantur, omnes, qui ante ipſum regnaverunt, magnificentia longè ſuperavit: quod vel ex Olympio Jove, qui extat apud Athenienſes, & ex ſtatuis, quæ ſunt in Delo circa aram, facilè quiſpiam conjectari queat. *Athenæus lib.5. cap.4.*

Seleucus, Aſiæ rex, de ſuis bonis, tempore Oniæ ſummi Pontificis, præſtitit Hieroſolymitanis omnes ſumptus ad mi- A niſterium ſacrificiorum pertinentes. 2. *Machab.*3.

Praxinoe in Charitibus Theocriti, laudans Ptolemęum, quòd Adonidis feſtum magnificis ſumptibus apparaſſet, non ſine proverbii ſpecie dixit:

— *ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα.*
— *in divite ditia cuncta.*

IN LUDOS, ET SPECTACULA.

☞ *De Ludis ſub Munificentia. Hìc ſumptus, illic Munus conſideratur.*

Athenis, edente puerorum chorum Platone, Dion exul Syracuſanus chorum exercuit, & ſumptum omnem à ſe præbuit. Hanc Plato admiſit illius apud Athenienſes munificentiam: quæ illi potiùs benevolentiam, quàm gloriam ſibi conciliaret. *Plut. in Dione.*

Apud Romanos, quæ in ſpectaculis abſumeretur pecunia, Lucar dicebatur: quoniam lucorum proventus, qui plures circa urbem dicati diis erant, in ludos erogarentur. *Cælius lib.8. cap.9. Antiq. Lect.*

Circus unus Romæ dicitur Flaminius: quòd cùm Flami- B nius quiſquam ex veteribus agrum præbuiſſet, impenderent ejus vectigal in ludos Circenſes. Cùm autem adhuc pecunia ſupereſſet, viam munierunt, quam item vocaverunt Flaminiam. *Plut. in quæſt. Rom.*

Herodes, rex Judæorum, ludos Olympios non ſatis reſpondentes ſuæ celebritati propter inopiam, adjuvit, attributis annuis redditibus, quo ſplendidiùs, & ſacrificia fierent, & alia quæ ad decorandum tam frequentem conventum pertinerent. Pro qua munificentia perpetuus agonotheta declaratus eſt. *Joſephus lib.16. c.9. Antiq. l.1. c.16. belli Jud.*

IN POMPAS. TUM SACRAS.

Niciæ Athenienſis cùm alia, tum commemorantur ejus in Delo magnifica, & religioſa munera. Nam cùm chori, quos civitates ad canendum mittebant in Apollinis honorem, appellerent promiſcuè: & quia navi turba repentè occurrente canere jubebantur, nullo ordine, ſed nimia feſtinatione incompo- C ſitè ſimul deſcenderent de navi, coronas ſumerent, & veſtes: ille cùm theorus eſſet, trajecit ſecum in Rhenenchorum, victimaſque, & reliquum apparatum trahens: ad hæc pontem Athenis paratum competentem, atque eximiè excultum auro, pictura, ſertis, tapetibus deportans, nocte fretum inter Rhenen, & Delum medium, quod non eſt latum, eo junxit. Mox ubi diluxit, pompam Deo, & chorum magnificè comptum, cantantemque traduxit per pontem Secundum ſacra, ludos, & epulum, palmam æneam Apollini poſuit: prædiumque ſacravit, quod decem millibus drachmarum comparaverat, cujus vectigali impenderent in ſolemne epulum Delii, multam felicitatem à diis Niciæ precantes. Id eſt enim inciſum in pilam, quam pro doni cuſtode reliquit in Delo. Palma illa à vento eliſa in Naxiorum excelſam ſtatuam procidit, atque eam dejecit. *Plutarchus in Nicia.*

Pius II. Pont. Max. Viterbii feſtum SS. Sacramenti peregit inſolito apparatu, ſtrata undique ſagis purpureis urbe, velataq; linteis, quibus aureæ ſtellæ, veluti cœleſti affixæ globo interlucebant, ut excluſo cœlo inter flores ad digiti craſſitudinem, & diverſi generis cantus, ſupplicatio procederet. Sylveſtres etiam homines hedera veſtiti, cùm leonibus, atque urſis congredi videbantur artificio mirabili, & verſus paſſim heroi- D ci canebantur: fontiumque fiſtulæ utrinque ex adverſo ſeſe ferientium murmure continenti demulcebant: ſtravitque omnem templi ambitum purpura. *Anton. Campanus in ejus vita.*

Inaugurales.

☞ *Vide Tit. Inaugurationum. Illic Dignitatis, hìc Sumptus tantùm habetur ratio.*

Regias.

Indorum Rex ubi ſe publicè viſendum præbet, præcurrunt cum argenteis thuribulis miniſtri, qui univerſum iter odoribus vaporant. Ipſe autem geſtatur lectica, margaritis hinc inde propendentibus. Lucet amictus auro, & purpura. Lecticam muniunt corporis cuſtodes, circumpendentibus aviculis, quas ad hoc imbuunt. Regia fulcitur auratis columnis, quæ nulla non hora patet volentibus. Ubi rex incumbit ornamento capitis tunc admittuntur legationes, & redduntur populis jura. *Raviſius.*

Triumphales.

☞ *Ex triumphorum loco petantur exempla. Illic Honoris,* E *hìc Sumptus magnifici ratio habetur.*

Funebres.

☞ *Vide Tit. Funerum. Hìc Sumptus, illic Officium mortuis impenſum honorificum conſideratur.*

IN NUPTIAS.

☞ *Hìc Sumptum conſideramus. Dona ſingulis data nuptialia ad Munificentiam pertinent.*

Artaxerxes, Rex Perſarum, Vaſti repudiata, Eſther Judæam uxorem duxit, & nuptias per integrum menſem celebravit, omnibuſque gentibus diem feſtum indixit. *Eſther* 2. *& Joſephus lib. 11. cap.6.*

Erat Clistheni, Sicyonorum tyranno, Ariſtonymi filio, Myronis nepoti, Andrei pronepoti, filia nomine Agariſtia: quam pater deſtinabat nuptum dare ei, quem præſtantiſſimum Græcorum omnium comperiſſet. Cùm igitur ludi Olympici celebrarentur, & ex eis Cliſthenes curriculo qua- F drigali victor extitiſſet: nunciari juſſit voce præconis, ut quiſquis ſe dignum putaret, qui Cliſthenis gener eſſet, is ad ſexageſimum diem, aut priùs Sicyone præſtò foret: quoniam Cliſthenes intra annum à ſexageſimo die incepturus, exequi nuptias deſtinaſſet. Itaque omnes Græci, aut ſua ipſorum, aut familiæ claritate confidentes, eò proci contenderunt: quibus Cliſthenes & curriculum, & palæſtram ad certandum præparaverat. Ex Italia illuc ſe contulit Smindyrides Hippocratis Sybarita (florebat maximè Sybaris ea tempeſtate) qui unus vir ad extremum deliciarum proceſſerat: & Siritanus Damas, Samyris filius ejus, qui Sapiens appellabatur. Ab Jonio autem ſinu Amphimneſtus Epiſtrophi Epidamnius. Ætolus verò Males, germanus Titormi illius, qui Græcos robore fuerat ſuper greſſus, & in extrema Ætoliæ homines fugerat. E Peloponneſo Leocydes Phidonis, Argivorum tyranni F. ejus ſpacia Peloponnenſibus ſtatuit, longè omnium Græcorum inſolentiſſimus: qui ſummotis Helienſium agonothetis, ipſe agonotheta extitit in Olympia, & certamen, præmiumque propoſuit. Nec non Amiantus Lycurgi arcas, ex Trapezunte: & Laphanes Azenus G ex urbe Pæo, filius Euphorionis ejus, qui (ut in Arcadia fertur fama) in domum ſuam excepit Caſtorem, & Pollucem, & ob id in omnes homines hoſpitalis: & Heleus Agæi vir præclarus; Iſti ex ipſa Peloponneſo venerunt. Ex Athenienſibus autem Megacles, Alcmæonis ejus filius, qui ad Crœſum ſe contulerat: & alter Hipoclides Tiſandri, divitiis, ac forma inter Athenienſes præcipuus. Ex Eretriæ Eubœæ, quæ per id tempus florebat Lyſanias è Theſſalia à Scopadeis Diactorides Cranonius: ex Moloſſis Alcon. Tot proci fuere. Qui cùm ad diem præſtitutam adfuiſſent, Cliſthenes ante omnia patriam ſingulorum, familiamque percontatur. Deinde eos annum apud ſe detinens, exploravit uniuſcujuſque & virilitatem, & iracundiam, & eruditionem, & mores: nunc cum ſingulis, nunc cum univerſis congreſſus, & juniores in gymnaſia educens, præcipuè tamen in conviviis experiebatur. Sed ei inter procos præcipuè cordi erant Athenienſes: & illorum magis Hipoclidem Tiſandri ſtrenuum eſſe judicabat, cùm præſertim ejus majores Cypſelis Corinthiis propinqui fuiſſent. Cùm autem deſtinatus nuptiis dies illuxit, quo ipſe Cliſthenes edixerat, judicaturum ſe quem ex omnibus diligeret: mactatis centum bobus, in convivium tum ipſos procos, tum omnes Sicyonios accepit. Poſteà verò quàm cœnatum eſt proci certamen de H Muſica habere cœperunt, pariter & de oratione habenda in medium. Procedente potatione, Hippoclides cùm longè alios antecederet, juſſit tibicinem ſibi canere ἐμμέλειαν, id eſt, ſedatum quoddam ſaltationis genus. Tibicine obſequente ſaltavit, ſibi quidem placens: ſed Cliſthenes omnem rem cernens diſſimulabat. Poſt hæc aliquantulum interquieſcens Hippoclides, juſſit ſibi inferri menſam, qua illata, primùm ſuper eam Laconicos ſaltavit modulos, mox alios Atticos, tertiò ſuper menſam capite ſtatuto, cruribus veluti brachiis modulabatur. Ad cujus primam, ac ſecundam ſaltationem, etſi ſtomachabatur Cliſthenes tam impudentem ſibi generum fieri: tamen ſeſe continebat nolens in eum erumpere. At ubi vidit crucibus veluti manibus geſticulantem, jam ſe ultrà continere non ſuſtinens, inquit: Fili Tiſandri, deſaltaſti matrimonium. Cui excipiens ille ait: Non eſt iſtud curæ Hipoclide. Tunc Cliſthe-

Cliſthenes ſilentio impoſito, in medium hæc protulit: Viri proci meæ filiæ, vos equidem omnes laudo, vobiſque omnibus, ſi fieri poſſet, gratificarer, neque unum è vobis præcipuum probans, neque cæteros improbans. Verùm fieri non poteſt, ut de unica virgine deliberans, omnium votis ſatisfaciam. Itaque ſingulis veſtrum, qui compotes hujus matrimonii non eſtis tanquam dignis meæ filiæ nuptiis, quodque domo perægrè abfuiſtis, ſingula argenti talenta dono do: Megacli autem Alcmæonis filio meam filiam Agariſtiam deſpondeo, ritu Athenienſium. Annuente conditioni Megacle, nuptiæ apud Cliſthenem celebratæ ſunt. Ex eo conjugio natus Cliſthenes, qui Athenienſium tribus, ſtatumque popularium inſtituit, tum Hippocrates. Ex Hippocrate verò alius Megacles, & alia Agariſtia ab Agariſthenis Cliſthenis nomen habens, quæ nupta Xanthippo Aripthonis, cùm prægnans eſſet, viſa eſt ſibi in ſomnis parere leonem, paucoſque poſt dies peperit Xanthippo Periclem. *Herodot.lib.6.*

Alexander Magnus Suſas ex India rediens, Satyram Darii filiam uxorem duxit. Locavit & alias nobiliſſimas feminas Macedonum primoribus. Quia nuptiarum celebritate, cùm novem millia convivarum accubuiſſent, ſingulis auream phialam ad ſacrorum uſum dono à rege datam, Plutarchus ſcribit. Nec ea liberalitate contentus, exercitum alieno ære liberavit, pecunia creditoribus ex fide repræſentata. *Sabel. lib.6. En.4.* Erant autem, qui uxores ducerent, nonaginta, totidemque thalami. Locus verò, in quo recipiebantur, & accumbebant, centum habebat menſas, quarum unaquæque argenteis pedibus nitebatur, ipſius verò aureis: & omnes purpureis ſtragulis erant ornatæ, variaque veſte texturæ barbaricæ, & pretioſiſſimæ. Recepit etiam in convivium peregrinos hoſpites, quos ſibi è regione accumbere juſſit. In aula verò convivia agitabant copiæ pedeſtres, & navales, equites, legationes, & peregrini Græci: atque ante cœnam tubis dabatur ſignum, quo convocarentur, ſi ad menſam veniendi tempus eſſet: alterum verò, quo ſurgerent ab epulis. Quinque dies integros, & continuos ordine, nuptiales epulas celebravit. Advenerunt etiam muſici, & hiſtriones, tam comici, quàm tragici permulti. Aderant inſuper circulatores mirifici ex India, quod genus reliquis ferè cæterarum nationum præſtare videbatur. *Ælian. lib. 8. de Var. hiſt.* fuſiſſimè verò *Athenæus lib. 12. cap. 17. ex Charet.* De eiſdem ſic *Plut. orat. 1. de Alex. fortuna*: Alexander uno ſub tabernaculo auro intertexto coegit in eoſdem penates, & ad communem menſam, centum ſponſas Perſidas, centumque ſponſos Macedonas, ac Græcos, atque coronatus ipſe hymenæum princeps orſus, quaſi convivale carmen accinens, in conſortium coeuntibus maximis, & potentiſſimis populis, unius ipſe ſponſus, omnium verò auſpex ſimul, & pater conciliatorque, fœdere nuptiali conjunxit.

Constantinus Cæſar Euſebiam mulierem nobili, ac ſplendido loco natam ſibi deſpondit. Ea ſponſalia Conſtantinus Magnus Auguſtus pater ſumma hilaritate, ac magnificentia celebravit: nam & ipſe ſponſum manuduxit, & convivium ſplendidè apparavit, ac ſeparatim ſingulos virorum, ac mulierum choros muneribus eximiis coluit. *Sigon. lib. 4. Imp. occid.*

Honorius Imp. an. 398. nuptias cum Maria filia Stiliconis Vandali, & Serenæ (quæ Theodoſii Magni fratris filia fuit) quadriennio ante ſibi deſponſa, jam maturis utriuſque ad ineundum matrimonium annis, Mediolani apparatu magnifico celebravit. *Sigon. lib. 10. Imp. occid.*

Nuptias Sigebertus rex Franciæ cum Brunechilde, Athanagildi Hiſpaniæ regis filia celebravit, maximo luxu. Sponſa quoque ei magnos theſauros attulit. *Gregorius Turonenſ. lib. 4. cap. 26.*

Henricus Friderici II. Imp. F. à patre Cæſar dictus, habuit uxorem Margaritam filiam Leopoldi ducis Auſtriæ, dicti Glorioſi, in vetus Auſtriacorum principum familia defecit. Cum qua tam inſignes maxima principum frequentia nuptias Norimbergæ celebravit, ut ob ingentem hominum preſſuram multi interierint. *Cuſpin.*

Alphonsus X. rex Caſtellæ, cùm nuptias primogeniti filii Ferdinandi celebraret, omnes primores Francorum, Angliæ, Hiſpaniæ, & Caſtellæ regniculos cum omni nobilitate convocavit: tantoque apparatu inſtituit convivia, ut Metelli, Cleopatræ, Antonii, Caligulæ, & Vitellii ſuperare cœnas viſus ſit. Nobiles omnes magnificis muneribus ornati, ipſi quinetiam plebeii, & annales Hiſpaniæ habent. *Idem.*

Fridericus Pulcher, dux Auſtriæ, electus rex Rom. & Leopoldus, frater, Gloria militum cognomine, Baſileæ magnificas celebrarunt nuptias: ille quidem cum Elizabetha Jacobi Aragonum regis filia, hic verò cum Catharina Sabaudiæ Comitis filia. *Idem.*

Bonifacius Marchio, & dux Thuſciæ, mortua Richilda conjuge, Beatricem, Conradi II. Imp. filiam duxit, ac ſponſalia maximis impenſis, atque effuſa, ut erat omnium illa ætate ditiſſimus, in omnem luxuriam magnificentia apud Mincium celebravit. Siquidem, ſi famæ credimus, ad eam ducendam profectus, equos ſoleis argenteis calceatos habuit, & domum reverſus, piſtrina publicè ad molenda libero omnium uſui aromata excitavit, & vinum vulgò omnibus bibere cupientibus impertivit. Ann. 1037. *Sigon. lib. 8. regni Ital.*

Venceslaus IV. Boemorum rex, cùm Juditha Rodolphi Imp. F. nuptias Pragæ celebrans; quotidiano epulo non minus centum millia hominum excepiſſe fertur. *Dubrav. lib. 18.*

Fridericus III. Cæſar, Italiam, novo more, inermis, & pacato agmine, non autem cum exercitu, ut alii Cæſares, inivit, & togatum quoque agmen ita per viam diſtribuit, ut alii antecederent, alii ſubſequerentur, ne cui multitudo gravis, aut formidabilis exiſteret, quare etiam adventus ejus lætus omnibus, & gratus fuit. Leonoram Regis Portugalliæ filiam, ex ſorore Alphonſi Regis Neapolitanorum prognatam ex Hiſpania Senas advectam excepit, nihil prætermittentibus Senenſibus, quæ ad inſtauranda, denuoque celebranda ſponſalia pertinebant. Romam cum ſponſa ingreſſus, ad ſcalas ſancti Petri Nicolaum V. Pontificem obvium habuit: à quo templum introductus, ſolemni more copula matrimonii cum nova nupta copulatus fuit anno 1451. ac mox uterque eorum Imperatoria corona donatus, nuptiis Neapolim dilatis, quas Alphonſus rex tanto apparatu, tantaque pompa apparavit, quantam illa ætas apud nullum alium Regem viderat. Omnis ferè Germaniæ nobilitas nuptiis iſtis interfuit: complurimi Hiſpaniæ principes ſponſam ex Hiſpania deduxerunt. Venatio adhibita eſt quatuor millibus paſſuum à Neapoli, qui locus à regibus venationi ſtatutus eſt. Fixa tentoria in campis, ſecundùm Angujanam paludem: fontes è vario vini genere paſſim ad litus facti: menſæ apparatæ, in quibus ſupra triginta hominum millia diſcubuere. Huc accedit, quòd qui ſpectandi gratia convenerant plurimi mortales, onerati eſculentis plurimorum dierum domum rediere. *Pontanus cap. 16. de Magnificentia, & Dubravius lib. 28.*

Ferdinandus, Neapolitanorum rex, in Hippolitæ Mariæ, & Alphonſi filii nuptiis celebrandis ſingularem quendam ſplendorem, ac magnificentiam oſtendit. Omnes principes, & populos Italiæ invitavit. Miſſi ab iis oratores ſingulari comitate ſunt excepti: ludi plurimis diebus editi, orcheſtris, ac gradibus ad ſpectaculum magnis ſumptibus diſpoſitis, iiſque partim purpura, ac ſerico, partim variatico panno intextis: equeſtres concurſiones magno apparatu hominum, atque equorum factæ, epulæ lautiſſimæ, ac largiſſimæ præbitæ. *Pontanus ibidem.*

Petrus Genvara, Comes Arianenſis, cùm uxoris Ariani nuptias celebraſſet dies octo, non populares modò ſuos, ſed finitimos quoque, qui ad nuptias vocati venerant, ita accepit, ut nil viſum fuerit in eo genere opulentius: fuitque opulentiæ admiſta lautities. Et quia principes quoque multi convenerant, certatum eſt etiam, ut neque ciborum conquiſitio, & concinnatio, neque apparatus domeſticus vinceretur à copia. *Pont. cap. 1. de Conniventia.*

Galeacius Vicecomes, Beatricem, Ateſtini Actii Ferrarienſis ducis ſororem, in matrimonium duxit. Ludi nuptiales regio ſumptu editi, totius Italiæ urbes inuſitatæ magnificentiæ fama compleverunt. Nam & ſimulacra certaminum, & caſtellorum expugnationes, quæ armatis cohortibus, & turmis inter ſe concurrentibus edebantur: & publici epuli apparatum, & matronarum ſaltationes, quæ ad ſpectacula convenerant, vehementer omnes mirati ſunt. Mille ibi per tres claſſes diſcumbentibus convivis ſingulæ veſtes cùm ſericæ, aureæque, tum laneæ, coccineæque, aut acu pictæ, dono datæ ſunt, Burra ſocru eas miro ordine, perſpicacique judicio ſublatis menſis diſtribuente. Tot verò novæ nuptæ collata ſunt munera gemmarum, atque monilium, cælatique argenti, & purpuræ, à legatis ſociarum urbium, patriciiſque civibus, ut opulentiſſimorum regum divitiis æquarentur. *Jovius in vita Galeacii.*

Nuptiarum Mathiæ Corvini Hung. regis cum Beatrice Aragonia celebritatem, *Vide apud Bonfinium lib. 4. Decad. 4.*

Leo

Leo X. Pontifex factus anno 1513. Juliano Medici fratri in ſpem ſobolis Philibertam, Caroli Allobrogum Principis ſororem, matrimonio junxit: quam demùm, uti ſine dote expetitam, ultrò regiis exornatam muneribus, præmiſſo ad Nicæam inſigni comitatu, Romam accivit. Steterunt Leoni eæ nuptiæ centum, & quinquaginta millibus aureis, cùm ſine dote penitus nobilitandæ familiæ cauſa plurimum appetiſſet. Cùm autem nullam ex ea prolem ſuſcepiſſet, Juliano Florentiæ mortuo, Philiberta cum omni mundo muliebri, precioſiſſimiſque inſignium gemmarum monilibus in Galliam ad Ludovicam ſororem tranſmiſſa eſt. *Jovius in Leone X.*

IN CONVIVIA.

☞ *Sumptum hìc perpendimus, qui in Convivia impenditur. Ipſum Convivium, quatenus Munus eſt, ad ſeq. librum pertinet.*

Salomon Rex ſumptu regio magnificè utebatur. Habebat enim 12. præſides totidem præfecturis præfectos, qui ſinguli ſingulis menſibus regiæ familiæ alimenta ſubminiſtrabant: nimirum in dies ſingulos ſimilæ coros triginta, farinæ coros ſexaginta, boves altiles decem, armentales viginti, balantes centum, præter cervos, capreas, bubalos & vivaria. 3. *Reg.* 4.

Persæ lautè cænant, integra, & multa, & varia apponentes. Lecti, & poculorum ornatus ſplendidiſſimus, auro, & argento refulget. *Strabo lib. 15.*

Athen. lib. 4. tradidit ex Herodoto, apud Perſas diebus natalitiis fuiſſe morem, ut divites bovem, cervum, agnum, aſinum equum, & camelum apponerent, totos in clibano, aut camino coctos.

Alexandri Magni cœna erat ſemper ſplendida, atque unà cum ſecunda fortuna ſumptus aſſurgebat, poſtremò ad decem millia drachmarum progreſſus eſt. Hic ſubſtitit, tantæque impenſæ Alexandrum invitantibus fuerunt præfinitæ. *Plut. in Alex.*

Hecatæus Abderites memorat, Eos, qui uxores ducunt ad ſolenne convivium, complures invitare: quòd ingenuos ſe eſſe, & ingenuorum parentum filiam ducere uxorem, multi ſciant, & teſtes ſint. *Plut. lib. 4. quæſt. convival.*

Otho I. Imp. ſingulis ſeptimanis in cibum aulicum mille porcis, viginti octo tauris, mille modiis frumenti, octo plauſtris vini, decem plauſtris cerviſiæ utebatur: exceptis oleribus, piſcibus, ovis, gallinis, carnibus ferinis, butyro, adipe, larido, & caſeo. *Erneſtus Brotuff. lib. 2. Chron. Merſb. cap. 1.*

In Aquilonaribus regum aulis integri boves, tam volatilibus, quam terreſtribus animalibus gravidi, aſſantur, atque centurionibus ordinatim ſedentibus diſtribuuntur. Ita & apud Indos in aula precioſi Joannis bos ingens, vel aliud quodvis animal magnum, omnigenis animantium generibus fartum, aſſatur, porcuſque dicitur Indianis *Olaus lib. 17. cap. 25.*

Veteri conſuetudine bos eo die torretur, quo Aquiſgrani Imperator inauguratur, fartus aliis animalibus: ex eo pars aliqua defertur ad Cæſarem, reliquum eſt multitudinis: vinum etiam, duabus fiſtulis ad eam comparatis, toto die publicè profunditur. *Sleid. lib. 2.*

Ferdinandum Gomecium Lemium, Alfonſus Albuquercius Indiæ prætor, ad Iſmaelem Perſarum Imperatorem legaverat an. 1516. Iſmael poſtquam jucundo ſermone tempus aliquod cum legato comiter inſumpſit, menſam inſterni, & dapes apponi juſſit: aliam verò menſam conquiſitiſſimis epulis extructam prope ſuam Legatis, & principibus, qui aderant, ſimiliter apparari præcepit. Celebratur omnium ſermone convivium: Mahumetis interim vinum vetantis juſſa contemnuntur: aquam vino admiſceri ſummum nefas exiſtimatur: majoribus invicem poculis invitantur. Dux quidam inſtat, & urget: & per Iſmaelis vitam convivas obteſtatur, ut totum vinum hauriant. Iſmael maximum poculum vino plenum oſtentabat, & num ſatis oppletum eſſet, interrogabat: Deinde totum, quaſi præclarum facinus ederet, ebibebat. Tunc ſe jactabat, quod ille ſolus tantùm vini hauſiſſet, quantum illi omnes, qui aderant, bibere minimè potuiſſent. De menſa & dapes, & vinum, ſi quid eſſet, quod ſuavis videretur, legatis mittebat. Multis interim jocis inter ſe ludebant, & omni ratione dabant operam, ut animos ab omni cura ad hilaritatem traducerent. Nullis cæremoniis, nullis myſteriis erat locus relictus. Convivium cùm duabus ante meridiem horis inſtitutum fuiſſet, ſub occaſum Solis finitum fuit. Legati veſtibus, atque muneribus ornati in tabernacula dimiſſi ſunt. *Oſor. lib. 10. Rer. Em.*

Carolo IV. Imp. nuptias quartas celebrante Cracoviæ cum Elizabetha, nepte Caſimiri Poloniæ Regis, an. 1363. Vernicus Germanus, conſul Cracovienſis, theſauris regiis præfectus xv. Reges, qui nuptiis intererant, domi ſuæ regio epulo excepit: Caſimiro primum, Carolo ſecundum diſcubitum dedit: muneribus regiis convivas omnes proſecutus, Caſimiro decem aureorum myriades dono obtulit. *Joach. Cureus in Sileſiæ Annalibus.*

IN VENATIONES.

Alexander Magnus caſtra Arzariam promoverat. Ibi nemora longo murorum ambitu veterum Regum juſſu circundata nobilium ferarum vim ad venatorium uſum alebant ingentem, eratque nemus per quatuor ætates intactum. Huc productum exercitum juſſit Macedo feras agere, ipſeque Leonem immani magnitudine Lyſimacho, qui ſe objecerat, repulſo, fortiter proſtravit. Atque ex hoc caſu Curtius fabulam credidit ortam, quod quidam Lyſimachum à Rege leoni objectum falsò prodiderint. Quatuor millia ferarum ibi cæſa dicuntur: atque Rex eodem nemore cum univerſo exercitu hilarè epulatus, Maracadam rediit, ubi Sogdianam, Artabazo ætatem excuſante, Clypo deſtinavit provinciam. *Sab. lib. 6. En. 4.*

Friderici III. Imp. nuptiæ cum Heleonora ſplendida venatione celebres fuere Neapoli. Quatuor enim millibus paſſuum à Neapoli venatio adhibita eſt, in loco venationibus à Regibus deſtinato fixa tentoria in campis ſecundùm Angujanam paludem, fontes è vario vini genere paſſim ad litus facti: menſæ apparatæ, in quibus ſupra triginta hominum millia diſcubuere. Quòd qui ſpectandi gratia convenerant plurimi mortales, onerati eſculentis plurimorum dierum, domum rediere. *Pontan. cap. 16. de Magnific.*

Ismael Sophus, Perſarum Rex, an. 1516. ſpectante legato Luſitaniæ ad eum miſſo, montes, qui in ambitum duodecim paſſuum millibus patebant, exercitu circumducto cinxit. Deinde cùm paulatim undique beſtiæ pellerentur, in campi planitiem, quam montes omni ex parte claudebant, compulſæ ſunt. Tum legatum cum ſociis, & paucos prætereà viros primarios accerſivit, & ſagittis maximum earum numerum confixit. Poſtremo aduncum gladium diſtrinxit, quo multas in duas partes uno ictu diſſecuit, & quandam ſecundùm longitudinem uno tantum vulnere diſcidit; erat enim ſummis viribus, & ſingulari in armis dexteritate præditus. Tandem cædendi labore defatigatus, reliquis, ut beſtiarum gregem cęderent, permiſit. Mox quatuor millia paſſuum progreſſus, piſcationi operam dedit: & ipſe manibus ſuis retia jaciebat, & Luſitanis piſces humaniſſimè porrigebat, omnique ratione pugnabat, ut eos omnibus facilitatis ſignis ad ſui ſtudium alliceret: quod quidem non erat ſimulatione aliqua fraudulenter elaboratum, ſed in natura illius penitus inſitum. *Oſor. lib. 10. Rer. Em.*

IN VECTIONES.

A Ludovico XI. circa annum Chriſti 1477. ſtathmi, & diverſoria curſoriis equis primùm in Gallia conſtituta. *Chron. Franc.*

IN AURIGATIONES.

Alcibiadis in equis alendis magnificentia etiam curruum numero fuit celebris. Solus enim hic, prætereà nemo, ad Olympiæ ludicra, neque privatus, neque Rex ſeptem miſit. Palmam verò quòd retulerit primam, & ſecundam, & quartam, ut auctor eſt Thucydides, vel, ut Euripides tertiam, ea re excelluit ſplendore & gloria omnibus, qui in eo genere elaboraverunt. Hanc ejus gloriam fecit magnificentia hoſtium illuſtriorem, ſiquidem tentorium ei Epheſii poſuerunt eximiè adornatum: pabulum equis, & copiam victimarum præbuit Chiorum civitas: Leſbii vinum, & cæteras epulas, largè multos invitanti. *Plut. in ejus vita.*

IN PEREGRINATIONES, VIATICA LIBERALITER DATA.

Mentes Leucadius mercator, cùm Smyrnam frumenti coemendi gratia veniſſet, & illic Homerum, qui ludimagiſtrum agebat, inveniſſet, ſirene illius ductus, perſuaſit illi ut ſecum peregrinaretur ſuis ſumptibus. Homerus cùm jam in animo poeſeos argumentum præconcepiſſet, occaſionem hanc non neglexit, quod mores gentium, ſitus regionum, & urbium, oculata fide tantùm percipi poſſe exiſtimaret. Cum Mente igitur & Hiſpaniam, & Italiam, totum denique mare Mediterraneum percurrit. *Herod. in Homeri vita.*

Anius inſtruxit viatico Græcos Aulide portu Bœotiæ proficiſcentes ad Trojam, hujus filiæ Oenotropæ dictæ, quòd

 habuerint;